SCHOLIA

IN

CONSTITUTIONES

ET DECLARATIONES

S. P. IGNATII

AUCTORE

P. HIERONYMO NATALI

E SOCIETATE IESU

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA

PRATI IN ETRURIA

EX TYPOGRAPHIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

MDCCCLXXXIII.

SCHOLIA

IN CONSTITUTIONES ET DECLARATIONES

S. P. IGNATII

SCHOLIA

IN

CONSTITUTIONES

ET DECLARATIONES

S. P. IGNATII

AUCTORE

P. HIERONYMO NATALI

E SOCIETATE IESU

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA



PRATI IN ETRURIA

EX TYPOGRAPHIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

—

MDCCCLXXXIII.

6341

PROPRIETAS LITTERARIA

PRAEFATIO EDITORIS

AD PATRES SOCIETATIS JESU

Praeter Constitutiones S. P. Ignatii, ac decreta Congregationum Generalium, nec non Ordinationes, Instructiones et alia, quae in duobus voluminibus Instituti comprehenduntur, in omnibus ferme Societatis domibus habebantur olim Scholia manuscripta P. Hieronymi Natalis in Constitutiones et Declarationes; quae licet vim legis habere nequeant, tamen valde utilia esse possunt in praxi, tum ad res gerendas, tum ad verum legum nostrarum sensum intimius cognoscendum ex maiorum sententia et traditione. Horum autem Scholiorum quam pauca extent in praesenti exemplaria, vel inde constat, quod saepissime a Provinciarum Praepositis et Collegiorum Rectoribus avidissime exquirantur, nec tamen prae manibus haberi possint, nisi quisque ea sibi describenda curet.

Quare operae pretium visum est P. Natalis opusculum typis committere et evulgare ad communem universae Societatis usum; remque in primis utilem, forte etiam necessariam, facturos arbitramur, praesertim pro recta et accurata tum novitiorum, tum Patrum tertiae probationis institutione. In Regula enim quadragesima quarta Magistri novitiorum diserte commendatur, ut « lectiones fiant de his, quae ad Institutum pertinent, et continentur Litteris Apostolicis, Regulis, et Constitutionibus; praecipue vero de his, quae in Examine et tertia Parte habentur, aut de aliis quae eo feruntur... Modus vero lectionum facilis sit et simplex, et ad novitiorum animos ad Instituti amorem et solidarum virtutum perfectionem promovendos accommodatus. » Regula vero tertia Instructoris Patrum tertiae probationis haec praescribit; « Exhortationes, quae ad ipsos habebuntur, similes earum esse non debent, quae ad novitios haberi solent; sed magis ad eorum captum accommodatae. De perfectione, oratione, Instituto, zelo animarum, ministeriis erga proximos tractetur. Idemque iudicium est conferentiarum. » Voluerunt itaque Patres nostri, ut iuniores, qui vel in secunda, vel in tertia probatione exercentur, non perfunctorie, sed probe Societatis Institutum cognoscerent, eiusque spi-

ritum, modos et fines rite intelligerent, antequam ad ministeria in proximorum salutem, et ad collegiorum aut domorum directionem et gubernationem accederent.

Iam vero ad hanc intimam ac genuinam legum nostrarum cognitionem et intelligentiam assequendam plurimum iuvabunt notationes P. Hieronymi Natalis. Quod vel ex eo erui potest, quod legitur in actis secundae Congregationis Generalis, cui adfuerunt non pauci e primis Societatis Patribus. « Quum intercessisset aliquis circa Scholia P. Natalis, quod attinet ad auctoritatem aliquam, quae ipsis tribui debere insinuabatur, placuit Congregationi, ut praedicta Scholia prius a R. P. Generali et a designatis ad eorum inspectionem examinata, amplecteremur pro directione tantum, et sine ulla obligatione. » Decr. 42. Examinatis autem et ab ipso auctore correctis, eadem Congregatio Decr. 57 statuit; « Notationes P. Natalis, ab ipso expurgatae atque in ordinem redactae, Provincialibus a R. P. Generali tradantur, ut illis pro sola directione, nulla interim obligatione obstricti, utantur. »

Quid praeclarius dici ac fieri poterat in commendationem horum Scholiorum, quae unanimi Patrum consensione universae Societati traduntur pro directione, ac proinde ipsis Praeposito-

rum Generalium Ordinationibus aequiparari videntur? Et recte quidem. Nam fuit P. Natalis vir indefessus et industrius; ingenio non solum ad rerum humanarum, divinarumque scientiam promptissimo, sed etiam ad res gerendas, viasque negotiorum ineundas sagacitatis et efficacitatis eximiae; institutorum autem nostrorum spiritum, rationemque omnem vivendi et agendi tam alte animo imbiberat, ut, quum primis temporibus nondum certae essent editae singulorum ministeriorum regulae, eius monitis fere cuncta Societas uteretur. Missus enim fuerat a S. P. Ignatio in omnes ferme Europae provincias ad Constitutiones, quas recens ediderat, promulgandas, explanandas et in morem inducendas, cum ampla potestate decernendi quidquid e re divina, et Societatis emolumento visum esset opportunius. Quod profecto munus tanta cum fidelitate, alacritate et prudentia exegit, ut, teste B. Ignatio de Azevedo in suis litteris ad S. Ignatium, videretur ad id confirmatus, a Deo, et eiusdem singulari consilio lectus. Denique non ultima tanti viri laus est, quam legimus in annalibus nostris. « Quum enim pariter cum Societatis incrementis, curae eius regendae crescerent, atque Ignatius in assidua morbi conflictatione aegre iam vitam ac plerumque decumbens traheret,

auctores illi fuere ii, quos ad consilia adhibebat, ut aliquem adsciscerent, in quem partem oneris declinaret. Is re facile comprobata, convocatis quotquot Romae degebant de Societate sacerdotibus, rei gravitatem exposuit; sacrificium in triduum ac preces edixit, insuper admonens ut de idonea ei muneri persona invicem interrogando cognoscerent. Quibus rebus peractis, die Sanctorum omnium solemni rursus unum in locum coacti, communi consensu, vix uno desiderato suffragio, Natalem designant. Et ratam habuit lectionem Ignatius (1). »

Sed, praeter haec, quae diximus, nemo non videt, quam auctoritatem sibi vindicent Scholia P. Natalis, qui familiariter usus P. Ignatio, intimos eius sensus probe assequebatur in rebus Societatis, et si quid forte dubii occurreret in explanatione Constitutionum, ad eum recurrebat, ut variis in locis expresse fatetur. Hinc mirum non est, si Praepositi Societatis, et ipsae etiam Congregationes Generales in rebus ac negotiis difficilioribus statuendis vel definiendis saepe consulerent Scholia, et plura iuxta eorum sensum decreverint et approbaverint. Consulto autem diximus *plura*, non *omnia*. Quum enim P. Na-

(1) Orlandini, hist. lib. 14, n. 17.

talis opus suum absolverit post tertiam Congregationem Generalem, et non pauca adhuc extarent in Constitutionibus vel dubia vel obscura, quae in posterioribus Congregationibus fuerunt rite explicata ac declarata, in his casibus simpliciter exponit, quid privato suo iudicio sentiat, totumque negotium remittit ad discussionem ac definitionem Societatis; quae postea collatis peritorum hominum suffragis partim admisit, partim reiecit vel temperavit P. Natalis sententiam. Forte conveniens fuisset haec adiectis notis illustrare; sed quum ex brevitate temporis non licuerit, facile quisque per se id praestare poterit, si conferat Scholia cum novissima Epitomes editione, in qua singularum Congregationum Generalium decreta breviter adnotata reperiuntur.

Fesulis in festo S. P. Ignatii, 31 iulii 1883.

IN PRIMUM CAPUT EXAMINIS

SCHOLIA

Finis. Huic fini coniungi intelligimus defensionem fidei, ac propagationem, quemadmodum in diplomatis confirmationis legimus: tum illud constanter retinemus omnia esse ad maiorem Dei Domini nostri gloriam dirigenda. Quod semper usurpabat P. Ignatius, et diligentissime in Constitutionibus, omnibus fere locis, expressit.

Sic paupertatem. Typo quodam exponitur paupertas professae Societatis, de qua plenius aliis locis dicetur.

Nec etiam. Hoc ad omnes quotquot vivunt sub obedientia Societatis pertinet, ut diserte statuitur 2° capite sextae partis Constitutionum.

Quamvis aliis sit licitum. Stipendium videlicet ecclesiasticum accipere absque conventione, vel specie simoniae ex 9. cap. ad Rom.; nam de eleemosyna dubium esse non potest.

Quae iuxta suum institutum. Ea colligimus ex forma instituti, et Constitutionibus.

Quae ad compensationem. Hoc plenius exponitur 2° cap. sextae par. Declarationum.

Et quamvis habeat. De dotatione collegiorum dicitur 2° cap. quartae par. Constitutionum et Declarationum et 2° sextae, unde constabit nihil eam obsistere professae Societatis paupertati, nihil exercitio paupertatis in Societatis ministeriis.

Et domos probationum. Domos probationum dicimus eas quae separatae sunt a professorum domibus, et a collegiis. Nam si qui novitii probantur apud professos, pro iis nulli redditus obtineri possunt, sed ex eleemosynis domus erunt alendi: si qui in collegiis, ex redditibus collegiorum, etiamsi in collegiis redditus haberi possunt nominatim pro novitiis.

Huiusmodi redditus. Nec aliquid quod redditibus aequivaleat, vel omnino habeat collegium vel domus probationis.

Nec aliquis eorum etc. Locum hunc intellige iuxta id quod statuitur quarta par. Declarationum 2° cap. § *Quamvis,* et eadem parte cap. 10, § *Hoc non prohibet,* et sexta parte Declarationum cap. 2° § *In collegiis professos.*

In exterioribus. In exterioribus nominatim dicimus. Nam quod ad alia attinet, nititur ad perfectionem in Christo Societas, quemadmodum facile est intelligere ex omnibus partibus instituti. Hic vero locus erit apertior, si quod formula instituti habet, legamus. In iis, inquit, quae ad victum, et vestitum, et exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem, et approbatum usum sequentur, ut quod inde pro cuiusque necessitate, vel spiritualis profectus desiderio, subtractum fuerit, ex devotione, et non obligatione rationabile obsequium corporis Deo, prout expediet, offeratur.

Ordinarias poenitentias. Et tamen iam inde ab

initio Societatis usurpavimus ieiunium sive certam abstinentiae rationem feriis sextis ex consuetudine. Solent etiam ieiunia, flagellationes, peregrinationes, orationes, Missae in Societate indici ad tempus, ubi exigit vel ecclesiastica necessitas, vel Societatis, sive communiter sive etiam privatim aliquando. Ad haec decrevit prima generalis Congregatio, scholio esse explicandum, quod ad singularitatem non attineat, si quis ieiunet, aliis non ieiunantibus, et quod danda esset facultas volentibus ieiunia observare secundum mensuram rectae rationis.

V. *Non mediocriter eruditos.* Hispanice est ad verbum *sufficientis in litteris.* Utrumque est interpretandum iuxta decimam partem, quae selectae doctrinae professos requirit, praesertim cum exigat formula instituti illos esse in spiritu et litteris conspicuos.

Et quovis alio solemni. Tantum hoc significatur nec emitti ab his quartum illud votum, nec tria illa quae emittuntur esse solemnia, et tamen ex concessione Iulii Tertii possunt his tria etiam vota solemnia concedi.

Postquam docti evaserint. Id est post eorum studia quibus eam eruditionem sunt consecuti, quam postulat gradus professi, vel coadiutoris.

Admittatur ad professionem. Quatuor votorum. Nam ad professionem trium votorum exiguntur septem anni ex quinta parte Constitutionum cap. 2° § *Praeter hos.*

Emittere teneatur. Tenentur quidem non hi solum sed professi etiam emittere vota sua post biennium si ita praecipiatur. Nulli tamen propterea possunt exigere impleto biennio gradum aliquem, tametsi omnes tene-

antur eo expleto edere quatuor vota scholasticorum etiam si retineantur in probatione, ut constat in ultimo cap. quintae par. Constitutionum.

Vel coadiutorum formatorum. Intellige spiritualium.

In quo habitus ullus. De habitu non ita dicimus quasi videamur monasticam vestem inducere in Societatem velle, vel propriam. Constanter vero retinemus vestitus libertatem, quam accepimus a Sede Apostolica, quemadmodum habetur in confirmatione Societatis, ut utilius et facilius in vinea Domini exerceamur. Sed eo tantum spectamus, quod exponit declaratio, posse retinere novitios suum vestitum etc.

In quo votis eos ligari. Sive scholasticorum, sive coadiutorum, sive professorum, si ita praescribat Superior. Ad vota alioqui scholasticorum tenentur omnes expleto biennio, ut modo dicebatur. Accipiur biennium vel pro vero biennio vel pro eo tempore omnino quod et biennium complectatur et illud tempus quod censebit addendum Superior etc.

Donec professionem. Attinet haec lectio instituti ac regularum ad confirmationem vocationis et instructionem, donec ad plenitudinem Societatis Iesu assumantur nostri: hoc est donec sint vel professi vel coadiutores formati, tum etiam ne, si quando obveniret gravis aliqua in vocatione tentatio, possent ignorantiam instituti causari.

Qui scholasticus approbatus est futurus. Non ideo subditur de scholastico quod postquam sit aliquis approbatus scholasticus, non teneatur sexto quoque mense videre institutum. Nam usque ad professionem vel vota coadiutorum omnes videre illud debent, ut praemittitur,

et inferius 4° cap. plenius explicatur. Quorsum igitur spectat ita pronunciare de scholasticis? eo scilicet ut significetur illud esse agendum ut sint scholastici approbati; id postquam fuerint, alio nomine tenebuntur institutum considerare.

IN SECUNDUM CAPUT EXAMINIS

SCHOLIA

Ex iis casibus. Quemadmodum in principio proximi capitis exprimetur, ita hoc caput intelligendum est, accipiendas responsiones sub secreto, ut ratio postulabit, et volet is qui examinatur.

Tanquam schismaticus. Non est exemplum, sed explicatio. Nam de solo schismatico res intelligitur. Sed is habetur etiam hoc loco schismaticus qui infamis esset excommunicatus, contempta auctoritate et providentia Sanctae matris Ecclesiae, non tantum qui proprie est schismaticus.

Homicidium aliquo tempore. Quod ad homicidium spectat, interrogatus a me P. Ignatius exposuit suam esse mentem ut homicidae quidem excludantur propter sanguinis horrorem, et occisionis ferocitatem sive crudelitatem, vel propter periculum, si videatur homo temerarius et a quo timeatur aliquod scandalum nasci posse, alioqui non esse impedimentum excludens necessario, quod ad nostras Constitutiones attinet. Nam propter irregularitatem de Jure communi hic cum excludatur ab ordinibus sacris, absque dispensatione recipi non posset pro coadiutore spirituali vel professo;

neque enim nos ex facultatibus nostris dispensare possumus in homicidio voluntario. Haec Patris Ignatii expositio erit apertior ex facto. Nam quum ad ipsum relatum fuisset de quodam qui cum alio egressus, ut quemdam hominem fuste cederet, nihil aliud quam unus exemit gladium, alius illum fuste percussit, ex quo ictu mortuus est; hoc homicidium declaravit se non intelligere esse impedimentum ad excludendum; et tamen qui homicida est proprie, idest cum peccato, is recipi non deberet, etiam si reciperet hanc interpretationem, nisi raris esset donis praeditus, et aedificatio bona consequeretur.

Habitum sumpsisse. Tertium hoc impedimentum ita interpretatus est P. Ignatius, ut non excludantur milites S. Ioannis, et S. Iacobi, et id genus alii, qui etiam si votis ligentur, vivunt tamen in habitu seculari. Quod vero attinet ad eremitas, dixit idem Pater de illis se intelligere qui dependentiam habeant ab aliqua Religione, tum etiam habitum gestent monachalem, quemadmodum qui dicuntur D. Antonii et similes.

Vitam aliquandiu. Hoc exponitur 3° cap. primae partis Declarationum.

Praeter alias causas. Hoc refertur ad reliqua quae sequuntur omnia, ut praeter communes et particulares causas, quae hic redduntur, esse aliae intelligantur et communes omnibus casibus, et particulares singulis quae vel ex Iure communi duci possunt vel ex nostri instituti propria ratione.

Propter consuetam multis. Quod intelligi potest tum de iis, qui in illos incidissent casus (nam timendum esset ne in eosdem fortassis recciderent) tum de illis

quibuscum nostri sunt consuetudinem habituri, qui facile possent in eorum contemptum vel suspicionem declinare ob rerum praeteritarum memoriam, etiamsi legitime scirent esse restitutos.

Nam quartum esset etc. Hunc quoque locum sic exposuit P. Ignatius, eum qui per verba tantum de praesenti, rato scilicet, et non consummato matrimonio, esset ligatus, non consentiente sponsa nec monasterium intrante, posse tamen recipi si de illo spes conciperetur quod posset ad professionem trium votorum solemnium admitti ex dispensatione exacto primo anno, alioqui huiusmodi non esse recipiendos. Itaque elapso primo anno deberet recipi ad tria vota solemnia hic sponsus, unde libertas fieret sponsae nubendi cui vellet in Domino. Haec P. Ignatius. Verum erit usus huius interpretationis rarissimus, praeter difficultatem dispensationis.

Si aliquod ex his impedimentis etc. Haec quinque impedimenta cum eos excludant necessario, qui illis sunt implicati, non tamen sunt omnia necessariae causae, ut eiiciantur ii, qui postquam legitime sunt recepti in illa inciderent. Nam tertium non impedit ne qui ex nostris post edita legitime vota alterius instituti habitum indueret (praeterquam Chartusianorum) etiamsi professionem edidisset revocari a Societate possit. De facto enim, ut aiunt, ille esset habitus indutus, illa edita professio, non de Iure: et uti nobis licet ea facultate quam accepimus a Paulo III. In quartum vero impedimentum incidere non possunt professi vel coadiutores spirituales formati, utrique propter Sacerdotium, illi etiam propter votum castitatis solemne. Ac ne alii quidem qui vota habent simplicia post irritationem

matrimoniorum clandestinorum in concilio Tridentino publicatam facile poterunt verum matrimonium contrahere. Posset enim intercedere Societas, ne hi quavis mala arte matrimonium contrahere coram Parocho vel substituto, et testibus possent. Alia pars huius quarti impedimenti accidere non potest homini legitime recepto. Qui quinto impedimento fieret obnoxius, siquidem novitius esset, vel scholasticus, atque in propriis horum graduum exercitiis illo esset incommodo correptus excludi posset, aliter non posset. Primum et secundum impedimentum vim suam obtinerent in eos etiam qui recepti legitime, si in illa incidissent, quod Christus avertat.

IN TERTIUM CAPUT EXAMINIS

SCHOLIA

Aliqua sunt interroganda. Si qua interrogatione huius capitis offendendus videtur is, qui examinatur, commodius esset aliunde ea intelligere quae desiderantur, tametsi perfectius quidem esset, ita illum esse dispositum ut nulla interrogatione offenderetur.

Et interrogato placuerit. Non accipiet tamen quicquam examinator ita sub secreto, quin id possit Superiori manifestare, sub eodem tamen secreto. Coeterum pro voluntate interrogati accipietur secretum, et servabitur quandiu in Societate non erit. Ubi vero fuerit receptus, servabitur quidem secretum earum rerum, quae secretum requirunt, verum non pro vo-

luntate recepti necessario. Is enim debebit id boni consulere, quod censebit Superior.

An sit ex legitimo. Haec et proxima interrogatio non eo proponitur quod illegitimi, vel neophyti excludantur a Societate, sed ut haec Superior animadvertat, quo possit melius, et illos iuvare et Societatem in Domino.

An aliquis. Quamvis huiusmodi notae etiam insignes in patre scilicet vel avo incapacem religiosae vocationis non reddant vel filium vel nepotem neque a nostra Societate excludant, est tamen diligenter spectanda in his maior aedificatio, et bonum maius Societatis, unde iudicari possit, an recipi huiusmodi homines conveniat; saltem hi eo in loco recipi non deberent ubi hac infamia laborant, presertim in Hispania, ne quam ipsi vix ferre possunt infamiam, eam habeat Societas. Adde quod hi ab Ecclesia notantur ex. de Haeret. in 6° cap. *Quicumque.* Animadvertendum simul num aliqua suspicio ex parentum perfidia ad filios pertineat aliquo pacto.

Num habeat aes alienum. Vide quid statuatur de hac re 3° cap. Declarationum in primam partem Constitutionum.

Mechanicam. Vel omnino aliquam artem didicerit vel exercuerit.

Num aliquam obligationem voti habeat. Nam si habeat simplex votum Religionis determinatae, absque dispensatione recipi non potest, nisi in casibus, quibus religiosus posset desiderio sanctioris vitae ad religionem transire strictiorem. Qui vero alia haberent vota simplicia, his dixit Congregatio prima generalis esse vota illa suspensa, etiamsi per professionem non tol-

lantur, et eorum obligationem cessare dum in Societate fuerint.

Sentire oportere. Nihil arrogamus nobis. Tantum ea auctoritate utimur quam accepimus nostros gubernandi, ac instituendi sub obedientia et doctrina Sanctae Ecclesiae Romanae et Summi Pontificis. Alioqui si quis iudicium Societatis sequi nollet, tandem eum non retineremus.

Cum animae suae tum proximorum. Est ad verbum hispanice *ut melius salutem, et perfectionem procuret animae suae iuvando alias proximorum suorum animas.* Quae verba bifariam exponi possunt vel ut intelligatur via esse melior ad animarum nostrarum salutem et perfectionem, si proximum iuvemus; vel ut utrisque simul procuretur tum salus et perfectio animarum nostrarum tum etiam proximorum.

Procedi poterit. Huius capitis interrogationes eo spectant, ut hominem habeamus exploratum, qui recipiendus sit, quo commodiores illi vel plures probationes adhibere possimus; tum etiam ut illum dimittere possimus, si videretur illis interrogationibus non satisfacere, quibus sciscitamur de eius iudicii subiectione; vel si impedimenta alia comperirentur, quae etiamsi non necessario excluderent, similem tamen vim obtinerent atque ea quae 2° loco ponuntur 3° cap. primae par. Const. vel alioqui si esset aliquid unde colligi posset non esse recipiendum.

IN QUARTUM CAPUT EXAMINIS

SCHOLIA

Sive in hac sive in alia religione. Est hispanice ad verbum *sive in una Religione sive in alia.* Sensus vero est ut illi ad Societatem recipiantur qui servitio Dei omnino se mancipare statuerint, idque in religione approbata. Nam qui nominatim statuisset se aliquando dedicare alicui ex aliis religionibus, de eius ad nostram vocatione accuratius esset disquirendum, attentius consulendum, et definiendum.

Debent omnia bona. Hoc quidem vellet Societas ut qui Christum sequuti ad nos venissent, antequam in obedientia religiosa viverent, bona distribuerent pauperibus, iuxta rationem nostri Instituti. Hoc igitur primum est Societatis desiderium, tam altum impressum esse animis eorum qui ad nos accedunt, renuntiationis studium, ut re ipsa exequi illam statim velint; ex qua animi propensione, et alacritate ad obedientiam solidius exerceantur, et firmius vocationem stabiliant suam; quod et primi fecerunt Patres nostri et alii permulti praeterea, antequam domum venirent, vota ediderunt paupertatis, castitatis, alii etiam obedientiae: debent igitur, qui ad nos accedunt hunc animum adducere, Societatis vero erit prospicerere, num id permittere debeat statim, an vero promissione iubere esse contentos, de qua subditur statim.

Ac disponere de his. Ad quae scilicet ius aliquod habeant praesens etsi nondum possessionem.

Propter aliquas honestas causas. De causarum

honestate iudicabit Provincialis, vel etiam Praepositi, et Rectores ex commissione. Verum consultissime in hoc iudicio agent, nec facile, ne post biennium quidem, statim bona distribui patientur. Sed de his paulo inferius, et in primum cap. tertiae par. Constit. est plenius annotatum.

Promittat se prompte. Votum videtur simplex haec promissio, non tantum promissio humana: quemadmodum intelligimus promissionem ingrediendi Societatem, quam iubet primo cap. Examinis edi ab scholasticis, votum esse simplex, tum etiam simplex esse votum promissionem quam professos emittere praecipit Constitutio de non immutanda paupertate 2° cap. sextae par. Ad haec scimus P. Ignatium huiusmodi promissiones intellexisse esse vota, ut videre est 1° cap. Examinis in veteri ipsius autographo. Et quidem fit haec promissio Superiori, qua Superior est, et personam Dei gerit, quare voti rationem induet, vel fit in Societate unde idem colligitur. Postremo ex prima § 2ⁱ cap. sextae par. Constitutionum et formula primi voti quod edimus professi post professionem, concipimus non debere nos ad laxitatem inclinare in rebus quae ad paupertatem attinent explicandis, sed ad districtionem potius. Verendum igitur nobis est, ne si hanc promissionem votum non interpretemur, videamur ad laxitatem declinare. Postea tamen 3ª Congregatio dixit non esse votum sed simplicem promissionem, sed cui fiat non expressit.

Relicturum omnia. Si antequam annus sit elapsus absque facultate Superioris, distribuere tamen in pauperes debet iuxta institutum. Quod si aliter faceret, merito expelli e Societate posset, praesertim si ea res

graviter offenderet vel aliqua animi perversitate ductus vel fraude id fecisset. Maiori quidem obligatione tenetur post annum. Nam ita promisit se distributurum; ante annum vero tantummodo sua voluntate illud debet observare, quemadmodum alia omnia, non aliqua voti obligatione. Sed quid fiet, si nihil habeat plane distribuendum, qui recipitur? Respondeo: si nihil omnino habeat, ne mobilium quidem bonorum praesentium, vel iuris futurorum, faciet tum promissionem, se ius et possessionem quam posset fortassis quoquo pacto adire (etsi omnino nihil habeat) esse relicturum.

Post unum ab ingressu. Quamvis parato animo esse debeant, qui recipiuntur, ut etiam ante exactum annum de bonis suis distribuendis statuant, teneantur autem post annum primum statuere, si iubeat Superior, id tamen facile ante expletum biennium vel vota emissa non iubent Superiores: ac ne post biennium quidem quandiu versantur in probationibus vel in studiis, nisi manifesta ratio atque experientia spem faciant de fructu quem sint illi ex distributione relaturi, ac de futura illorum perseverantia.

In reliquo temporis. Non probationis solum, sed studiorum etiam, denique omni tempore quoad professus aliquis non fuerit, vel coadiutor formatus.

Firmius, et stabilius. Probantur enim nostri aliqua ex parte religiose, quod facit non animus solum quem adducere debent paratum ad omnia pauperibus distribuenda statim, sed promissio haec sive votum.

Si tamen dubitetur. Censebit de hac dubitatione Superior, quae si nulla existat non intercedet, vel impediet quin fiat renunciatio consanguineis.

Et iustas alias ob causas. Quae a perfectione non

discedant instituti, vel saltem quae cum illa constare possint.

Unius duorum aut trium. Facile intelligitur hos adhiberi, ut censeant num cognatis possint bona donari; semper tamen constat distribuenti sua libertas qualis superius hoc capite explicata est.

Pecuniam apud se. Idem non de pecuniis solum, sed de bonis etiam mobilibus accipiendum est, nisi si quid novitio utendum permittat. Coeterum si qua alibi possidebunt novitii, ea item omnia Superiori manifestanda sunt, ne ignoretur quid impedimenti habeant, quidve de illis bonis agant novitii.

Interrogetur item. Videtur error huc irrepsisse ex typo, et positum, item pro itaque, nam est hispanice *assi que* idest itaque; locum restituit 2ª editio.

Vel ei qui contulit. Si aliter fieri non possit. Nam alioqui ad perfectionem debet fieri haec resignatio sive in opus aliquod pium, sive pauperi alicui clerico, et quidem coeteris digniori, quoad fieri a nobis aut curari poterit.

Ad maiorem in spiritu profectum. Spectat locus ad ampliorem spiritus perfectionem et praeparationem animi nostri quae sit cum singulari humilitate ac simplicitate coniuncta. Quod vero ad praxim attinet, in rebus omnibus est ministri, subministri, et syndici et eorum qui dantur socii illis qui domo egrediuntur, referre ad Superiorem si quid observaverint in patribus vel fratribus domi vel foris, si quid notaverint. Reliqui non debent esse observatores fratrum curiosi, verumtamen si quid intercurrat quod videatur esse momenti gravioris, id debent referre ad Superiorem nec tamen propterea debent omittere admonitionem sive corre-

ptionem, si videatur fore utilis, quod facient fructuosius consulto Superiore.

Qui extra confessionem. Non est hoc novum nec singulare nobis. Multa enim statuta aliorum ordinum similiter statuunt: ut fratrum minorum, quae dicuntur Barchinonensia, et quae D. Bonaventurae, et acriter quidem illa quae his annis confirmata sunt a Iulio III. Nec Tho. in 2. 2. q. 33. art. 7. contra haec facit, non enim laeditur nostri fratris fama, nam famam ipse dedit in manum Superiorum gubernandam. Potius censetur illa esse Superiorum et Societatis quam fratris, quandoquidem consensit in hanc regulam. Deinde nihil laeditur fama, si sciat illud solus Superior ut persona quae potest prodesse et non obesse. Ita enim intelligimus dici illi posse ante admonitionem vel applicationem testium, non ut publicae personae quae possit contra illum agere iuridice. Subvenitur autem potius eius famae et id contenditur, ne ad testes sit veniendum et iudicium, et ut admonitio fiat efficacior. Potest etiam illi dici cui ipse alioqui tenetur secreta sua omnia aperire, ut non solum nostra regula tradit, sed docet D. Basilius in q. 26 ex fusius explicatis. Est item alia ratio quae satisfacit B. Thomae. Etenim vergunt omnia secreta crimina nostrorum, nisi Superiori patefiant, in detrimentum Societatis; ubi ex unius delicto redundat in Societatem infamia. Neque enim fama unius est pluris aestimanda quam universitatis; nec fidendum crimen fore secretum, facile enim haec ad alios dimanant. Quod si hoc non timeretur, illud tamen esset apertum detrimentum missionum Societatis quod est primarium ipsius institutum, et omnibus commune, nullus enim est qui non possit mitti. Itaque versaretur

in ignoratione periculosa Superior si non nosset secreta peccata suorum. Et quidem hoc solum nomine regula nobis constaret ex Iure communi et inquirere de omnibus posset Superior nomine electionum ad missiones rite faciendas, et absque detrimento Societatis. Haec quum ita sint, non sunt tamen necessaria, ut D. Thomae satisfiat. Nam idem Doctor quasi haec considerasset XI. quodlibeto art. 12 temperat sententiam Summae. Si (inquit) videtur quod melius correctio fiat per praelatum, praelatus nihilominus sit pius, discretus et spiritualis non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, licite potest illi denunciare (ante videlicet admonitionem) et tunc non dicit Ecclesiae quia non dicit ei ut praelato, sed sicut personae proficienti ad correctionem proximi et emendationem. Haec Doctor Sanctus. Unde illud constat, per se hanc rationem servari posse, esse accidentia quae possint impedire: nam accidit non esse Superiorem qualis describitur et certe cum perfecta obedientia non constat sinistre de Superiore censere. Adde quod Innocentius III in Concilio generali profitetur in accusatione, denuntiatione et inquisitione, ubi contra regulares personas agitur, ordinem communem non esse usquequaque servandum, quin possint facilius et liberiùs a suis administrationibus amoveri. Dat videlicet viam Sedes Apostolica, qua possimus libertate uti in religiosis personis. Haec sat multa atque adeo plus satis multa pro scholiis, et tamen alioqui illud esset satis, a Sede Apostolica esse toties confirmatas nostras Constitutiones. Haec autem eo spectant, ut extremis hominibus satisfiat, si qui forte, quum nostri instituti propriam rationem non intelligant, velint tamen de rebus ignotis iudicium ferre.

Nam nostri his persuasionibus opus non habent quibus sat est scire P. Ignatium Constitutiones edidisse legitime; illas confirmatas a Societate fuisse in Congregatione generali prima et secunda; se item Constitutiones probasse, ubi primum receptae atque examinatae sunt; nominatim vero illam, et initio legisse, et frequenter audivisse, ubi regula singulis mensibus publice fratribus leguntur, et sexto quoque mense in renovatione votorum; semper vero boni consuluisse. Quare illa esset perniciosa tentatio, si quis e nostris in ea re titubaret et nullo pacto negligenda.

Auctoritate Superioris. Qui hanc dispensandi facultatem accipient, fere erunt vel Praepositi locales vel Rectores, vel Magistri probationum. Et eam hos intelligimus non ordinario iure accipere, sed ex commissione Generalis Praepositi, vel aliorum Superiorum, Commissarii vel Provincialis.

Secundum est servire. Illi quidem ad hospitalis servitia facilius mittentur in quibus pauca fieret iactura, si abirent iniussi, vel qui insolenter se gererent domi. Aliis mittendis magnum est adhibendum consilium, magna cautio, praesertim si soli eo mittantur. Admonendi vero sunt, qui praesunt xenodochio et alii ministri, ad probationem nostros eo mitti; nihil nos de eorum modestia polliceri, ne offendantur adversus Societatem, si fortassis in illis aliquid displiceat.

Tertium est peregrinari. Solos quidem mitti posse desiderandum est, et ea mens Constitutionis est; ea perfectior probatio. Verum si cui non admodum videretur fidendum, is mitti quidem posset, sed non absque probato socio. Sic tamen proficere omnes debent ut soli in peregrinationem mitti possint.

Ostiatim. Non alia ratione solum, sed ostiatim etiam mendicare.

Quartum est post ingressum. Utile igitur ne dicam necessarium esset, si praecedentes probationes, ut priore loco traduntur, sic priorem etiam locum obtinerent in executione. Et ita postulare videtur tum ratio instituti, tum maior et fructus novitiorum, et Societatis securitas. Breviter illud censerem experientia explorandum pedetentim, quamvis hactenus fere usurpatum non fuerit.

Et alios rudiores. Accipitur comparativum pro positivo, ut solet ex usu sermonis latini.

Vel in utroque. Vel in quovis etiam ministerio Societatis. Nam hispanice non est *in utroque*, sed *in omnibus*. Neque tantum attinet sexta probatio ad Sacerdotes, et concionatores, sed ad alios etiam.

Quae fit in domibus. Domos intellige primum probationis, dein etiam professorum.

Diversis aliis. Pro Superiorum arbitrio qui in his variandis et adhibendis spectabunt fructum maiorem novitiorum, tum etiam aliorum aedificationem. In his autem experientiis illae videntur nominatim annumerandae, quae in gerenda cura infimarum classium transiguntur; praeterea gerere officium aliquod domesticum, exerceri in humilitate, in patientia, in mortificatione, in oratione, in simplicitate, in obedientia, in paupertate, in ieiuniis, in flagellationibus, in negotiis Societatis gerendis, in conversatione cum externis, in silentio. Item in addiscendo mechanicam artem aliquam, quam possint nostri exercere. Breviter in omnibus virtutibus exerceri, probari atque institui debent nostri religiosi iuxta nostri instituti rationem, in his

praesertim quibus singulariter egent, vel propter praeteriti temporis vitia, vel propter naturae pravam inclinationem, vel etiam propter praesentes necessitates, et tamen poterunt repeti sex illae de quibus dictum est.

Vel studiorum tempore. Extra ordinem hoc fiet per dispensationem in secundo anno, ut declaravit 2ª generalis Congregatio, neque tamen intelligatur simul posse aliquem dare studiis litterariis operam et probationibus exerceri. Sed qui est scholasticus, is relictis studiis poterit commodum probationibus dedi, et rursum ad studia reverti, quod et in studiorum intermissionibus fieri solet, et alioqui, si necessitas aliqua id exigat, fieri debet. Non enim censentur plenam probationem ex instituto explere, qui ex dispensatione 2º anno ad studia mittuntur. Retinent enim et nomen novitiorum, et aliquid nescio quid novitiatus. Sat itaque esset, si huiusmodi annus pro sex mensibus plenae probationis aestimaretur.

Vel post studia. Erit hoc plane extra ordinem nec usurpandum, nisi insignis esset aliqua atque vehementer urgens causa, quam vix est credibile unquam fore.

Convenire videbitur. His qui hanc acceperint facultatem.

Et coadiutores formati. Sive spirituales sive temporales.

Vel in coadiutores formatos. Spirituales.

Ut quisque. Praeterquam qui pro professo est examinatus; et tamen usus scholasticorum esset humilior, si responderent ut indifferentes. Nam qui pro coadiutoribus sunt examinati, siquidem pro temporalibus, nil dicere possunt humilius; sin pro spiritualibus, si sint Sacerdotes, iis item nil humilius evenire potest. Si

Sacerdotes non sint, ad maiorem humilitatem spectaret si responderent se in probationibus versari pro coadiutoribus spiritualibus, vel temporalibus indifferenter.

Ab ultimo loco. Securius quidem esset si non ab ultimo tantum loco testimonium acciperet, sed ex medio etiam itinere, tametsi neutrum indubitatam fidem facere potest de toto itinere.

Praelatorum ordinariorum. Vel vicariorum qui eorum gerunt officium.

Aliquod esse impedimentum. Quod non est necessarium intelligere peccatum esse, cum alia praeterea impedire possint dignam ac devotam Eucharistiae receptionem: sed hoc tamen impedimentum soli confitenti indicabit confessarius, non etiam aliis, nisi Superiori vel ministro diceret confessarius sua facultate illum omisisse communionem, quod videtur utile fore ad gubernationem.

Simul ordinationes. Etiam si regulae hac de re non extarent, consuetudo tamen obtinuit hactenus in Societate, ut quotidie Sacerdotes Missam celebrent, nisi quid impediat vel in itinere sint. Hi enim si ad gerenda negotia profecti sunt, non solent nisi dominicis, et festis diebus celebrare. Nam in ministerium Societatis missi, vel in probationem quotidie celebrare solent, si possint.

Sui victus et potus etc. Extat P. Ignatii annotatio huic loco apposita, novitios vestibus novis non esse induendos, sed usu detritis, vel etiam laceris; ut dum assuescunt amare decorem atque integritatem interius, exterius vero abiectionem, spiritu magis proficiant, maioresque sumant vires internas; identidem tametsi quod ad Societatem vel ad commune bonum attinet,

potest Superior pro suo arbitrio in Domino illos vestire commodius.

In praesenti hac. Gratiam, virtutes, spiritualia dona et quae pro hac vita petuntur a Deo et sperantur, non intelligimus hoc loco excludi.

Siquidem iniunctum fuerit. Haec et officia et humilitatis exercitia petere a Superioribus cum modestia atque indifferentia laudabile est.

Sane intelligendo. Illis quidem praestatur obedientia atque etiam propter ipsos ut gerunt vicariam personam Summi Pontificis, et Dei. Non tamen praestatur illis propter ipsos, ut sunt privatae personae. Itaque tota quidem vis et perfectio obedientiae in hoc posita est, ut in homine Deo ipsi et propter Deum obediatur.

Vel quidvis aliud. Non solum enim poenitentiae iniungi possunt, et solent propter defectus ac negligentias quae fere cum culpa coniunctae sunt, sed propter alia etiam quae culpam non habeant coniunctam. Etenim dari hae possunt, et debent suo loco ad probationem et specialem utilitatem promovendam.

Intra aliquot menses. Insignem necesse erit esse causam, et necessariam, si menses sit expectandum. Nam alioqui initio statim audiri solet generalis confessio, in qua simul accipitur ratio conscientiae: vel omnino fit confessio generalis magistro probationis. Ratio conscientiae datur item Superiori collegii, vel domus.

Vel quaecunque ratione ei placuerit. Etiamsi multi soleant propensi esse, ut extra confessionem suam conscientiam explicent, et ad perfectionem haec propensio spectare videatur, non sunt tamen extra confessionem audiendi; ita enim hactenus obtinuit consuetudo quae rationi consentanea est, nequis oblique

cogi videatur, quae soli Deo sunt manifesta peccata mortalia exterius enunciare, vel temere effutiat pudenda peccata. Nam quae peccata non sunt, ea possunt extra confessionem intelligi, et nonnunquam debent.

Vel aliis ex inferioribus. Non intelliguntur hic privatae personae, sed inferiores Praepositis Provincialibus, qui tamen ipsi aliis praesint.

Ut melius omnibus. Ne dubitare quis possit de usu notitiae, quam accepit Superior ex hac aperitione conscientiae, si in confessione sacramentali illam acceperit, dicimus rem quidem esse secreto servandam pro ratione sui sigilli confessionis, tamen si quando necessum videatur ex illa cognitione aliquid plus minusve fieri debere, id facilius a nobis intelligemus absque detrimento sigilli confessionis fieri posse, non solum quia hic usus potest esse legitimus, ut colligitur ex doctrina theologorum in 4° lib. Sententiarum, verum etiam ex ratione huius institutionis. Nam in electione potest is praetermitti, qui in confessione scitur esse ineptus; potest etiam revocari ex ministerio qui sciretur in illo versari cum salutis suae iactura, modo aliae praetendi possint legitimae causae extrinsecus; ex hac item regula vel constitutione videntur nostri permittere Superioribus, ut illa scientia uti possint ad illorum maiorem utilitatem, et Societatis sinceritatem procurandam, conservato tamen alioqui sigillo.

Non repetitis. Illis intellige quae necessaria non sunt ad praesentem conscientiae statum exponendum ac cognoscendum. Supponit enim Societas, quae prius fuerunt exposita ea esse expuncta et emendata; quare necessum non esse illa repetere: quod si non essent illa, haud dubie essent necessario repetenda.

Nunquam reddiderunt. Hoc referendum est ad Societatis initia, et antequam Constitutiones ederentur, quo tempore observata non est haec ratio aperiendi conscientiam Superioribus. Nam alioqui nunquam videtur futura esse causa, cur illa aperitio usque ad consummationem studiorum differatur.

Ubi praepositi alicuius. Superiorem simpliciter intellige quemcumque.

Apud aliquem Sacerdotem. Confessiones generales fieri solent Superioribus immediatis, vel etiam Provincialibus, sive Commissariis in visitationibus et simul accipi ratio conscientiae iuxta institutum. Ita enim longe melius consulitur conscientiae omnium, et spirituali utilitati. Possunt tamen Superiores, praesertim Provincialis et Commissarius, negotium hoc dare alicui Sacerdoti si commode omnes audire non possunt, sed non omittent praecipuos audire, tum eos qui videantur maiori disciplina egere; et ad hanc rationem est locus interpretandus, ita enim vivente Patre Ignatio observatum est.

Et defectibus iniunctas. Extenduntur hi defectus ad ea etiam in quibus nulla esset culpa, quemadmodum in 1° cap. tertiae par. exponitur.

Si et ipse et Societas. Non ita intelligimus, ut liberum sit post biennium novitio non emittere quatuor vota scholasticorum, quod constat necesse esse ex ult. cap. quintae par. Constitution. Neque item liberum cuiquam esse potest post biennium non edere vota professionis, vel coadiutorum, si ita praescribat obedientia, tametsi omnibus est liberum vota non edere ante biennium exactum; sed illud dicimus explorandum esse consensum cuiusvis ad finem biennii, ut suaviter, ac li-

bere divino Spiritu, ac sua voluntate adducti videantur se votis adstringere, ac perpetua obligatione, quod ad ipsos spectat. Quod si nollent post biennium voto sese obligare, serio esset consulendum an essent e Societate dimittendi. Certe domi non essent retinendi, sed ad xenodochium vel peregrinationem mittendi, nisi quid impedire videretur. Ne igitur in has angustias veniendum sit, diligenter ante biennium eorum voluntas est exploranda, et confirmanda.

Emittat. Emittent quidem necessario omnes si retinendi videantur, et biennium expleverint, scholasticorum vota quatuor, etsi studiis non sint vacaturi, sed potius alias sint experientias obituri. Alia enim nulla vota exacto biennio edere necessum est.

Iuxta tenorem litterarum Apostolicarum. Quod, etiamsi hic non exprimatur, intellige iuxta tenorem litterarum Pauli III nulli licere post vota scholasticorum, coadiutorum, vel professorum edita iuxta Constitutiones ad alium quemvis ordinem etiam per Sedem Apostolicam probatum transire absque Praepositi Generalis vel Sedis Apostolicae facultate, praeterquam si velint ad Carthusienses accedere, ad quos tamen pauci e nostris venerunt, et ex his quidem pauciores scimus admissos qui tamen non perseverarunt. Compertum vero habemus, nullum studio perfectionis maioris revera commotum, sed tentatione, et inquietudine animi agitatum illam mutationem appetivisse.

Quod si exacto. Intellige quemadmodum paulo superius explicatum est.

Prorogari. Prorogari quidem ne tunc recipiatur vel ad professionem, vel in coadiutorem formatum, vel in scholasticum approbatum. Et tamen est necessum ut

exacto biennio edat vota quatuor Scholasticorum, ut paulo ante annotavimus.

Si affirmando responderit. Si vero (quod fieri vix potest) negaverit se etiam desiderium illud desiderandi habere, eo omni studio ducendus est, nec recipiendus donec hac ex parte satisfaciat.

IN QUINTUM CAPUT EXAMINIS

SCHOLIA

Ac nominatim. Scimus P. Ignatium non mediocriter expetiisse ut nostri familiarem haberent linguam latinam atque in ea ut essent insignes.

Litterarum bonarum. Non intelligimus litteras humaniores duntaxat quae solent bonae litterae appellari, sed in universum bonarum disciplinarum sufficientem eruditionem, earum praesertim, quae ad Theologiam necessariae sunt.

Ut inferius dicetur. Est hispanice, *ut postea videbitur.* Nusquam tamen nominatim de hac re statuitur in Constitutionibus, etsi is fuerit aliquando usus, et in antiquo officio magistri novitiorum traditum ita sit. Nam de exercitatione novitiorum in concionando superius cap. 4° statutum est, et priori cap. tertiae par. Constitutionum idem praecipitur.

Per totum probationis tempus. Ne intelligas propterea post probationem posse quemvis sacerdotem confessiones audire, vel sacramenta administrare absque legitima Superioris sui facultate, et aedificatione. Illa enim semper intelligimus esse necessaria, sed in no-

vitio requiri dicimus ad probationem et instructionem peculiarem, in aliis ad observationem et rectam gubernationem.

Vel eius Superiori. Idem est intelligendum de aliis Superioribus, qui omnes a Generali Praeposito auctoritatem suam accipiunt.

Obligantur. Quarto scilicet illo voto solemni obedientiae ad missiones.

IN SEXTUM CAPUT EXAMINIS

SCHOLIA

Quae necessariae sunt. Intelliguntur quidem res esse omnes quae illis praecipi possunt absque peccato; peculiariter vero hoc loco necessaria obsequia externa illa dicuntur in genere, quibus cum carere non possit Societas, ad ea gerenda necessum fuit adsciscere coadiutores temporales, ne illis occupentur professi Sacerdotes, et coadiutores spirituales.

Possunt iuvare. Significatur status eorum et facultas qua debent esse praediti ad iuvandam societatem in rebus externis.

Quoad fieri poterit. Ne quis hunc locum anxie interpretetur, intelligat hic animum significari ad perfectionem contendentem.

Curam dedit. Non tantum communem quandam obligationem ex hoc loco Ecclesiastici accipimus omnes, sed ex nostri instituti ratione propriam atque peculiarem.

Vel coadiutoris temporalis gradum. Et ad hunc

quidem gradum esset ex instituto ineptus sacris ordinibus initiatus; qua ex parte insulsior esset tentatio, tametsi posset, si non statum illum, exercitium tamen eius desiderare propter humilitatem.

Ostensa est. Per ministerium intellige Superiorum etiam, in quibus veluti praesentem Christum agnoscere debemus omnes, quemadmodum ex formula instituti, ex Constitutionibus, ex vocatione ipsa intelligimus.

Si velit in Societate. Hunc locum ita expone quemadmodum similis expositus est superius penultima annotatione in quartum cap. etc.

Quae publica licet non solemnia sint. Praeter aliquos intellige qui de licentia Praepositi Generalis propter ipsorum devotionem, et personarum qualitatem, tria vota solemnia facere poterunt, ut est in eisdem litteris Iulii Tertii.

IN SEPTIMUM CAPUT EXAMINIS

SCHOLIA

Convenire sibi iudicaverint. Non est intelligendum poni in arbitrio ac libertate novitiorum vel electione, an velint litteris operam dare, sive sint absolutae probationes sive non sint, sed cum institutum habeat non dari studia nostris, nisi vel prius edant vota vel omnino in studiis ipsis, et sit liberum vota facere ante biennium, eo spectat Societas, ut sciant nostri, si velint litteris operam dare in collegiis, esse sibi vota edenda vel antequam ad studia eant vel in ipsis studiis ad arbitrium Superioris, ex qua libertate Superioris quae

aperte significatur, emersit illa traditio sive statutum, ut nullus ad studia mitteretur etiam ante biennium, nisi prius vota edidisset, quum alioqui omnibus sit liberum vota non edere ante biennium. Haec consuetudo Patris Ignatii vim obtinet traditionis, usu Societatis probatae.

Vel domibus Societatis. In domibus intellige extra ordinem haberi litterarum studia, et ex dispensatione, ut statuitur penultima § prioris cap. tertiae par. Constitutionum; vel omnino idem dicit et significat domus ubi litteris studetur et collegium.

Quod studiis absolutis. Ad arbitrium Superioris cuius est finem imponere studiis et illa gubernare.

Propensionem animi. Perseverantia etiam propensionis illius significatur, non tantum simplex praeteriti temporis inclinatio.

Vel eius Superior. Vel qui ab eo auctoritatem acceperit.

Se dimitti a Societate. Hanc dimissionem ita interpretare, quemadmodum de illa traditur 2° cap. secundae par. Constitutionum cum suis Declarationibus, quo loco plenius de hac re dicitur.

In eisdem studiis. — Quibus si non fuerit. Locum utrumque expone similiter atque in 4° cap. annotatum et § *antequam* n° 16.

Ad omnimodam obedientiam. Erit haec examinatio respondens proportione primae probationis examini, nam proponitur tertii anni probationibus quae exiguntur post studia.

In Collegiis. — Ad Collegia. Possunt enim ad collegium primum admitti ut in illis exerceantur novitii: nam ut studeant ante vota, id prohibet traditio P. Ignatii, quod in superioribus annotatum est.

IN OCTAVUM CAPUT EXAMINIS

SCHOLIA

Qui ut indifferens. Dicitur indifferens quia definitum non habeat Societas ad quem gradum velit illum recipere, ut in primum caput Examinis dictum est.

Vel eius Superiori. Simul intellige et alios Superiores qui a Generali scilicet Praeposito suam acceperint auctoritatem.

IN PROEMIUM CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Vicarius ita statuit. Ita enim colligimus ex diplomatis, quae nostrum institutum confirmant.

Et conservatio in suo bono statu. Non tantum conservationem intelligimus, sed in conservatione augmentum. Non enim conservari religio, hoc est perfectionis acquirendae status, potest, nisi etiam ad incrementum contendatur.

Tam in ipsis admittendis. His et sequentibus verbis complectimur quidquid praeterea in Constitutionibus traditur particulatim.

IN PRIMUM CAPUT PRIMAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Iudicio Praepositi. Is enim commissione generali vel particulari illam communicare poterit, et ita quidem poterit Commissariis et Provincialibus communicare

ut illi etiam possint aliis eam communicare. Ceterum hanc facultatem primo loco esse universae Societatis in generali Conventu congregatae compertum est, quemadmodum de eiiciendi facultate dicitur 1° cap. secundae par. Constitutionum.

Aliquem cuius opera. Non hic tantum solet adhiberi, qui examinator est, sed praeterea unus et alter qui recipiendum alloquantur, antequam ad primam probationem admittatur. Sed de his in constitutione examinationis fusius dicitur.

IN SECUNDUM CAPUT PRIMAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Quam qui necessarii sint. Status paupertatis et humilitatis prohibet ne plures hi sint, quam necessarii ad externum ministerium. Numerum statuent Provinciales in domibus et collegiis. Porro illud hoc loco animadvertendum, usum coadiutorum temporalium esse extentum magis qua fuerit initio vel quam accipiamus ex instituto. Nam quum plures initio non fuerint vel esse debuerint coadiutores temporales, quam ad ea obeunda quae alioque essent obituri sacerdotes nostri vel scholastici, tamen additi cementarii, fabri lignarii, et ferrarii, sartores, sutores, pictores etc. et his quidem fere non est integrum non uti, tum quod P. Ignatius ita voluerit, tum quod ita receperit Societas. Sed diligenter videtur curandum, ne nostros coadiutores demus in servitium hominum secularium; sunt enim ad

hoc tantum assumpti, ad hoc destinati ut domibus, et collegiis, ubi nostri vivunt, inserviant.

Ut in rebus spiritualibus. Hi quum sint vel professi futuri vel coadiutores, et plura desiderentur in his qui pro professis admittuntur quam qui pro coadiutoribus, fit, ut quae hic traduntur varie pro vario gradu animadverti et expeti debeant. Et videtur quidem operae pretium facturum Generalem, si particulariter de utroque gradu daret instructionem, ut proprie haberemus quid in utroque expetere debeamus. Quod diligenter de coadiutoribus temporalibus fecit constitutio.

Quartumdecimum annum. Maiores tamen vigesimo tertio recipi non debent nisi pro coadiutoribus temporalibus, si principium non habeant in litteris, ut duci potest ex 3° cap. quartae partis Declar. nec recipi debent qui propter aetatem gravem videantur fore inepti ad ministerium.

Vigesimum quintum. Minimus hic est terminus quo ordinario iure nostro admitti quis possit ad professionem, sed tamen cum debeant omnes professi esse sacerdotes et post sacerdotium exerceri in confessionibus audiendis atque aliis probationibus quae ad sacerdotium proprie attinent, fiet fere ut hac aetate pauci admittantur ad professionem. Coeterum quod hoc loco constitutio tradit, et quae nos annotamus, extendenda intellige ad coadiutores spirituales.

Bona fama. Celebritatem famae intellige.

Unctio Sancta. Si nihil tamen praetermittamus eorum quae a recta ratione peti debent ex liberi nostri arbitrii usu, tum ex propria ratione instituti.

IN TERTIUM CAPUT PRIMAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Aliquando a gremio. Si quid plus minusve de his impedimentis hoc capite dicitur, vel etiam in eius declarationibus, quam in Examine dictum sit, vel declaratum, id propterea factum intellige, ut plenior ex utroque loco peteretur cognitio, et sua proprietas utrobique servaretur; in Examine scilicet, ut impedimenta fusius traderentur, eorum declarationes in Constitutionibus copiosius.

Fusius tractatur. Intellige hoc non tam ad quintum impedimentum referri quam ad superiora quatuor.

Coetera impedimenta. Sunt tamen alia impedimenta excludentia quae aliunde petenda sunt, ut si quis sit episcopus, si quis iure naturae tenetur subvenire parentibus, quod in claustro non possit etc. et in difficultatibus quidem quae obvenire solent de hac obligatione probamus sententiam D. Thomae, propter eius insignem tum sapientiam, tum religionem et sanctitatem.

De quibus non adeo magna. Singulare studium et diligentia est adhibenda ad observationem et usum huius impedimenti, ne qui huiusmodi sunt, nec sibi prosint et aliis noceant; quod in primis est cavendum praesertim in Italia si quis puer qui petulans fuerit petat recipi. Inquirendum vero, quoad licebit, ab externis num aliquid infamiae sustineant qui petunt recipi, tum prolixa probatione examinandum hoc impedimen-

tum est ut alia huius generis, et nisi insignis fiat mutatio, non sunt hi vel recipiendi, vel retinendi, et ratio quidem infamiae in huiusmodi habenda est seria.

Qui praeseferunt intentionem. Etiam si dixerint se indifferentes.

Aetas valde tenera. Aetatem valde teneram interpretare minorem decimo quarto anno completo; admodum vero provectam eam esse ex qua censetur aliquis inutilis fore ad ministeria Societatis explenda, vel parvo tempore utilis; eum enim recipiendum non esse certum est qui ad Societatem accederet, ut senio confugium pararet et otium.

Ne charitatis particularis. Idest ne quis affectus qui a charitate proficisci videtur, ei obsit charitatis affectui, qui circa bonum universalius et magis necessarium versatur.

IN QUARTUM CAPUT PRIMAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ut plurimum. Quod est hispanice *comunemente.* Opponitur vero ei quod raro et extra ordinem fit. Hoc propterea dicimus quod possit accidere extra ordinem ut de aliquo concipiatur spes, eum in prima probatione ad sinceritatem intentionis esse revocandum. Alioqui nullo pacto huiusmodi sunt admittendi, ne ad primam quidem probationem. Est praeterea in hunc locum declaratio insignis.

Aut pro cuiusque devotione. Hic non agitur de ra-

tione vestitus in biennio probationis, de qua dictum est diligenter in 1° cap. Declar. Examinis, nec eo tempore devotioni tantum indulgendum videtur novitiorum, sed ad disciplinam et aliorum exemplum spectandum. Hoc igitur loco tantum agitur de primo ingressu ad probationem primam, quo si velit quis ex devotione ingredi non seculari sed nostro cultu, non esset fortassis contristandus, modo profiteatur se libenter laturum, ubi ad communem convictum veniet, si aliis iubeatur vestibus uti.

Ac postridie. Ne statim inclusus, et nova rerum facie attonitus, ut solet, perturbetur, si e vestigio illi obtendatur disciplinae districtio, permittitur primum sibi; tantum illi suadetur, ut se Deo commendet, auditurus postero die quid sit acturus: interea tamen cavendum ne quis praeter designatos illum conveniat.

Perpendat vocationem suam. Non est hoc ita proponendum novitiis, quasi eos iubeamus in dubium revocare animi sui priorem deliberationem, sed quaerere potius unde illam confirment atque stabiliant.

Singulas praelegant lectiones. Non solum hoc exigitur, sed ut praeterea concionem habeant, quemadmodum 5° cap. Examinis dictum est.

Et generaliter confitebitur. Si generaliter scilicet non fuisset confessus alicui sacerdoti Societatis, ut habetur in 4. cap. Examinis. Esset vero utile ut eo tempore omnes meditationibus exercerentur primae hebdomadis, quo generalis confessio esset fructuosior, et esset in quo serio occuparentur in tanta solitudine. Dandi vero rationem conscientiae est alia ratio quam confessionis, etiamsi in confessione fieri soleat, quod constat ex 4. cap. Examinis.

Confessario qui a Superiore. Confessiones generales sunt audiendae ab eo qui novitiis immediate praeerit, ut commodius illos iuvare possit. Ratio vero conscientiae dari deberet Superiori, ut est annotatum in 4. cap. Examinis.

Scriptum fuerit. Esset operae pretium si responsiones novitiorum scriberentur, sed secretis notis seorsum ea quae secreto essent conservanda.

Quicquid domum tulit. Quod ipse usu non sit consumpturus, ut vestes quibus induitur, et huiusmodi si qua sint.

Ingredietur in domum. Nisi consultum videretur in aliis probationibus primum illum exercere quae ordine praecedunt eam, quae fit domi, quod non dubium, quin aliquando futurum esset utilius; atque adeo perfecta ea esset receptio in Societatem, si, antequam domum reciperentur novitii, tribus illis prioribus probationibus exercerentur, meditationibus, xenodochiis, et peregrinationibus, quod hactenus fere nunquam fecimus, nisi si quando de aliquo dubitamus, et eum ideo ad xenodochium primum mittimus. Deterruit, opinor, nos difficultas, et incertus eventus et periculum.

Examinati non fuerint. Erit in Superioris arbitrio curare, ut vel plene examinentur, vel ex parte, scilicet pro rerum, et personarum ratione.

Ut professi vel coadiutores formati. Verum hi nonnunquam ad examen revocandi, ut etiam ad novitiatum, si eorum conversatio non probetur. Ratio vero examinis horum pro personarum et rerum conditione esset instituenda.

IN PRIMUM CAPUT SECUNDAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Vel non sit eorum vocatio. Quod colligetur tum ex aliis, tum ex iis causis, quae proximo cap. exponentur.

Quo quis arctius. Graviores plane esse oportet causas propter quas illi eiiciantur. Nam multae causae sunt novitiorum propriae, aliae scholasticorum, de quibus etiam in Examine dicitur, sed de his in Declarationibus dicitur fusius.

Ad universam Societatem pertinet quandoque. Quod dubium esse non potest, quum superior ea sit Generali Praeposito.

Et Rectoribus. Sub nomine Rectorum complectimur etiam omnes qui praesunt domibus probationum, si sub Rectoribus non sint constituti vel sub Praeposito aliquo locali, qui proprie praefecti probationum vel magistri dicuntur et sunt.

IN SECUNDUM CAPUT SECUNDAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Prudens charitas. Uti enim debet Superior affectu qui ab amore Dei et proximi proficiscatur, simul prudentia et discretione, et passibus aliis prudentiae, quae faciant ut affectus ille alio ne divertat quam vera charitas postulat.

Corrigi non posse. Non est adiiciendus animus ad aliquem huiusmodi eiiciendum, nisi ubi videatur corrigi vel difficulter posse vel omnino non posse, et plenitudo spei et longanimitatis prius exerceatur in Domino.

Quod manifesta non essent. Non propterea e Societate eiici is posset, cuius peccatum sciretur in confessione sacramentali, nisi illud et extra confessionem sciretur, vel aliunde causa aliqua colligeretur quae satis esse possit ad aliquem excludendum, et revera illa causa uteretur qui eiicit.

Si in probationis decursu. In decursu probationum dicitur propterea quod facilius in novitiis hoc usu venire potest. Sed tamen idem contingere in scholasticis potest, tum et in aliis; quod de quinque impedimentis primariis dubium non est, in aliis etiam impedimentis evenire potest.

Malo vitae exemplo. Ut si publicum fieret aliquod eius delictum grave quo offenderentur fratres, unde possent etiam offendi externi; vel etiam absque gravi delicto, si immodestia faceret vel morum difficultas ut aedificationem accipere non possent fratres vel externi.

Tertium si iudicaretur. Paragraphus haec atque adeo totum caput ad novitios spectare videtur; neque tamen excluduntur scholastici; ad alios etiam proportione accommodari potest, et iudicio quidem non vulgari opus est ut ad singularia fiat huius capitis commoda applicatio.

Vinculum matrimonii. Vide Scholium in 2. cap. Examinis, tum Declarationem in 3. cap. primae part. Constitutionum; quibus ex locis colliges quando vinculum matrimonii sit satis ad aliquem eiiciendum.

Magni momenti. Non tantum magni momenti aes

alienum quod quis subticuisset in examine intelligendum est, sed si id, etiam postquam ingressus esset, contraxisset, ut accidere posset ex fideiussione, vel aliis ex causis legitimis, praesertim si quas causas in examine siluisset; etiamsi non siluisset, res tamen esset gravissime animadvertenda.

Quaevis harum quatuor causarum. Ex praxi et usu rerum facile colligetur, an retinere in Societate aliquem videatur cum charitatis obligatione pugnare, quam vel Deo, vel Societati, vel receptis, vel omnino externis hominibus debemus. Nam ad haec spectant quatuor illa causarum genera. Sin hoc non est compertum, erit situm in iudicio Superioris causas interpretari, modo nullus excludatur absque causa, quae plane videatur esse sufficiens. Nam quum dicitur in diplomate coadiutorum sub Paulo III. et in confirmatione Societatis sub Iulio III. fieri liberum Societati missos facere coadiutores ex causa, illud est intelligendum, cuius tamen sit interpres Societas. Est autem animadvertendum, non necessario requiri ad aliquem eiiciendum ut contra charitatem fiat si retineatur, sed sat esse si maior charitatis affectus vincat minorem vel necessario, vel convenienter, vel omnino ut melius sit Societati. Alioqui quum causa eiectionis sumi possit vel ex re in qua nullum est peccatum, uti si propter naturalem aliquem defectum, vel negligentiam, vel etiam infirmitatem aliquis eiiceretur, praesertim si ministerium aliquod Societatis non exercuisset, vel in qua peccatum quidem sit sed leve, vel etiam imperfectio aliqua quae videatur non ferenda in Societate, ut si quis bono exemplo non esset fratribus, si quis regulas quasi ex professo non servaret, professus tamen identidem illas velle servare, et id genus

alia, haec etiamsi peccata non essent, tamen in ea qui inciderent, contra charitatem quae vel Societati, vel ipsis, vel externis debet, fieri interpretari possemus si retinerentur.

Ut Deo gratius fore iudicemus. Non tantum ex praedictis causis id iudicare debemus, sed ex aliis etiam quae fortassis non ita facile ad illas referri possunt, ut si quis in eos casus incidisset, propter quos deponi potest Generalis vel etiam e Societate eiici; si quis in alia peccata graviora, unde singularis infamia vel scandalum provenire posset, incidisset. Nam in his et aliis omnibus eventibus omnino consulendum esset integritati Societatis atque auctoritati. Necessarium enim est ad fructum afferendum, ut illa semper existimatio de Societate conservetur, in ea videlicet non sustineri eos qui notari aliquo crimine possint insigni.

Quam imprudentem charitatem. Affectum intellige indiscretum, quem quis per errorem interpretetur ex charitate proficisci.

IN TERTIUM CAPUT SECUNDAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Omnem exuendo affectum. Qui officere possit.

Ac secum omnia sua ferat. Vide scholium in 4. cap. Declar. Examinis, et adverte, quae illo scholio et declaratione huius loci traduntur, ea esse novitio exponenda diserte, ne, si illa nesciat et huic litterae haereat, gravius tentetur, vel alioqui molestus sit nobis, si eiiciatur nec sua omnia secum auferat.

Abstinendo quantum fieri poterit. Qui locus explicari sic potest, si necessarium non sit, et ratio secreti non ferat non esse omnino enunciandum peccatum eius, qui eiicitur, occultum. Verum si ratio cogeret et enunciandum videretur, tum, quoad eius fieri posset, vel levissime attingendum esse, vel minima ex parte.

IN QUARTUM CAPUT SECUNDAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Aut qui eius vices gerit. Commissarius scilicet vel qui eius rei peculiarem a Praeposito Generali auctoritatem acceperit.

Suum praestiterit assensum. Non enim pendebit ex eius assensu qui facultatem habuerit aliquem dimittendi, vel omnino eius a quo iniussus aliquis discedet, ut eiectus vel desertor recipi possit. Ab hoc enim necessario erit informatio et consilium; assensus non satis erit. Breviter, recipi ab aliquo Superiore non poterunt huiusmodi, nisi is facultatem habeat, saltem a Provinciali, vel a Commissario, etiam illos recipiendi.

Ne defectus cognitionis. Vel etiam facultatis.

Communicationem autem facultatum. Sive eas ex privilegio Sedis Apostolicae concesserit Societas, sive sint eiusmodi quae ordinaria potestate concedi possunt, sive gratiae sint, vel suffragia, quae ex Societatis communione consequantur, qui ad Societatem sunt admissi, qualis est Sacrificiorum, Orationum et omnium bonorum operum specialis participatio. Utcumque quidem

sit, sunt ea omnia et censentur de iure et de facto abrogata. Neque vero hoc solum intelligendum est, sed illud quoque quod concessit Paulus III. est omnibus declarandum: si quis e nostris, ex facultate concessa Societati, vel absolutus fuerit, vel dispensationem acceperit a censuris aliquibus vel poenis ecclesiasticis, nisi velit continuo Societatem ingredi, vel peractis legitimis experientiis parato sit animo, ut vota emittat, etiamsi alioqui hac in re tempus ad deliberandum acceperit, illum esse reipsa rursum in eandem poenam vel censuram incursurum.

A votis simplicibus. Nam eiectis professis, non intelliguntur soluta esse eorum vota solemnia ac ne illa quidem simplicia quae post professionem emittunt, quae cum solemnibus sunt coniuncta, et ad statum professorum pertinent.

Si ea iuxta formulam. Nam aliis votis non solvuntur, sive illa in Societate voverint, sive antequam ad Societatem venirent. Nam horum erat suspensa obligatio tantisper, donec essent in Societate. Illa suam vim obtinent, nisi vel antea fuissent irritata a Superiore legitimo vel videantur irritanda dimittendis.

Ut omnes scrupuli. Idest ne dubitatio aliqua quae extare posset ex praeteriti voti obligatione interturbet. Nam si qua est ex vocatione, et divinae voluntatis significatione contracta vel obligatio, vel spiritualis attractio, vel simplex vocatio, ea quidem non obligat ad peccatum mortale si non sequaris, sed tamen et illam Deus exigere miris modis solet et Societas non dissolvit. Possemus quidem iudicium ferre et debemus, ubi nobis est compertum esse illam Dei vocationem. Sed ego ita existimo, non debere, ubi vota dissolvimus, hoc

iudicium ferre, ne scrupulum alamus dimisso, nisi videretur rursum recipiendus, vel nisi speraremus utilem illi fore illum remorsum. Breviter: nisi consultissime illud non debemus ferre iudicium, quum alioqui sit difficile.

Si ex aliqua vehementi tentatione, vel omnino aliqua ex culpa ducti, vel etiam levitate animi.

Poterit. Non poterit solum, sed debebit etiam, intelligimus. Nam ea est vis phrasis P. Ignatii; et id quidem debebit is Superior praesertim, a quo desciverit, debebit etiam curare Provincialis.

Privilegiis: a Paulo III. concessis et a Pio IV. et V. confirmatis, ut in huiusmodi apostatas uti rigore iuris ecclesiastici possimus.

Ut licebit. Licebit, sed non absque facultate diserta Generalis Praepositi. Nam excommunicatione hactenus usa non est Societas. De carceris usu nil voluit statuere generalis prima Congregatio, sed eam curam duxit relinquendam Generali Praeposito; et quidem nec P. Ignatius nec P. Laynez carcere usus est, quamvis usurparunt aliquando ut concluderetur aliquis in cubiculum aliquod, quo illi consuleretur, et pericula evitarentur, ac disciplina exerceretur. P. Franciscus usum carceris probavit, et in Collegio Romano usurpavit.

Manerent. Vel alias addidisset causas postquam fuit dimissus, quapropter recipiendus non esset: quod similiter est intelligendum de illis qui iniussi abierunt.

Vel Provincialem. Si ipse facultatem illam non habeat, quam etiamsi habeat, debet tamen postea primo quoque tempore Provincialem certiorem de re tota facere.

N. *Quam fecit.* — V. *Quam domi fecit.* Non est in

exemplari hispano *domi*, sed paraphrastice est additum, et recte quidem, ut ne eius conscientia ignoretur, ac fiat, ne religiose ex instituto iuvari possit. Intelligitur vero domi, idest in Societate.

Et aliis probationibus. Primam nihil est quod agant hi, saltem ea ratione quae praescribi solet iis qui tunc primum recipiuntur, sed exercitia spiritualia primo loco, dein alias probationes omnes et quidem exacte, desertores praesertim, et si qui ex aliis diutius a Societate abfuissent vel non admodum inculpate vixissent in seculo. Et in his omnibus consultum videtur, ut primo quoque tempore priora, quae habuerant, vota faciant, siquidem illi vota legitime fuerint soluta; si non fuerint, renovent.

Prout Superiori immediato qui id proprie est curaturus ut ille proficiat in spiritu, nisi aliud praeterea vel Commissarius vel Provincialis praescribat.

IN PRIMUM CAPUT TERTIAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Se a divina sapientia non esse. Talentum intelligimus dona Dei naturalia, vel infusa, ad finem Societatis accommodata, de quibus 2. cap. primae part. dictum est. Et haec quidem si experientia comperiantur deesse alicui, utrumque certum erit, et illum ineptum esse ad nostrum institutum, et simul non esse a divina sapientia vocatum. Fit enim temporis successu, ut qui primum censebatur esse ad Societatem vocatus, eius de-

prehendatur alia esse vocatio, non nostra, et ad hoc spectant probationes et novitiatus. Haec cum ita sint, evenit tamen mentis humanae vitio, ut ii quoque nonnunquam sint excludendi necessario, in quibus nihil videmus, quod instituto nostro non congruat, praeter eorum spiritus infirmitatem vel etiam malitiam. Ii sunt qui vocatione divina se indignos faciunt; sed iidem eo prolixius erunt probandi et maiori cum difficultate eiiciendi.

Quod ad animam attinet. Requirere posset aliquis in hac tertia parte, quae novitiorum continet institutionem, ut de oratione ac meditatione ageretur, de experientiis, de gratia vocationis nostrae, atque instituti ratione et de aliis id genus. Verum huic satisfiet, opinor, si dicamus intelligere nos, esse cum hac tertia parte coniuncta exercitia nostra spiritualia, illa praeterea documenta omnia, quae in Examine traduntur, huc esse conferenda; consequi vero hanc tertiam partem regulas atque alias particulares institutiones; quorum tamen omnium praeceptiones generales in hac parte attinguntur.

Cum his duntaxat personis. Hispanicum exemplar ita habet, si ad verbum vertamus, *et ambulando in vita Spiritus tantum tractent cum personis ac de rebus quae eos adiuvent.* Illud igitur intelligere possumus praeclarissimum principium novitiis proponi, ut per viam spiritus tantum ambulent, nihil carnis admiscentes, quod Paulus omnibus locis docet. Hinc fiet ut nulla de re tractent novitii, cum nullo agant, nisi a quo possint iuvari ad id consequendum, quo per Societatis ingressum ac progressum expetunt pervenire in Domino. Similiter loquutus est P. Ignatius 4. cap.

Examinis § *et ita curandum est* etc. *et vivit Christo* (inquit) *Domino nostro tantum.* Et hanc quidem interpretationem praesupponit versio. Neque enim partim in via spiritus, partim carnis ambulare debemus, sed omni ex parte in via spiritus, quod est *tantum.*

Ut scopum praefigebant. Ut perfecte scilicet saeculo renuncient, et ad perfectionem contendant iuxta Societatis institutum et finem.

Oculorum praecipue. Est hispanice ad verbum: *portas sensuum, praesertim oculos, auditum et linguam;* hae enim sunt portae sensuum interiorum, et mentis, quae temperandae ac contegendae sunt divina virtute et gratia, ne hauriant vanitates etc.

Quam exigit cuiusque status. Tum eius qui alium reveretur, tum illius cui reverentia exhibetur.

Cum ea qua par est. Scripsit P. Ignatius primum: *cum devotione ac reverentia possibili;* unde intelligi poterat intentio simul et attentio devotionis, et reverentia ad perfectionem contendens. Poterat item ita accipi, ut significaret adhibendam devotionem quoad res ipsa ac locus pateretur, qui sensus exprimitur per secundam hanc lectionem, sed prioris tamen memoria et spiritualis sensus non est propterea reiiciendus.

Pio potius quam difficili. Varia quidem esse debet ratio huius lectionis. Nam in refectorio novitiorum ea sunt tantum quae ad piam eorum institutionem attinent legenda; in scholasticorum addi debent historiae ecclesiasticae; in professorum conciones ecclesiasticae. Sed, quae legentur, omnia debent accommodata esse ad propriam rationem instituti, et eiusmodi quae abducere non possint animos nostrorum a puritate et constantia vocationis suae, sed potius promovere. Est

tamen ratio habenda coadiutorum temporalium qui latine nesciunt, ut semper aliquid vulgari idiomate legatur quando ipsi adsint, et debet esse designatus idoneus accentuum emendator.

Omnes. Hispanice est *omnes generaliter*, quod sonat regulam hanc generalem, sed in qua tamen epiikiae sit locus et exceptioni. Fieri enim poterit, ut sit aliquis cui utilius sit non omnia praescribere, tametsi omnibus otium sit, nemine excepto, fugiendum. Erit igitur operae pretium occupationes distribui novitiis per suas horas, nominatim vero tempus certum orationi destinari, cuius primaria ratio habeatur.

Aliis rebus occupari. Hoc scilicet est intelligendum praeterquam in tempore recreationum.

Ne ocium malorum omnium origo. Ocium ne intelligas simplicem vacationem, vel feriationem quae dari potest ad animi vires recreandas vel conservandas, sed illam quae vitium est nec fine aliquo honesto vestitur, ex qua omnia mala oriri possunt, et solent.

Nulla re tamquam propria. Est hispanice: *ne re quidem propria ut propria utantur novitii.* Hos enim continget fere res proprias non distribuisse. Nulla igitur re, ne propria quidem, ut propria uti debent, sed sic utantur rebus omnibus quasi non utentes, ut Paulus docet, atque adeo bonorum suorum fructibus uti non possunt, sed illos distribuere in usum pauperum debent, quemadmodum in 4. caput Examinis et sexta par. est annotatum. Porro communibus rebus uti, ut propriis, conspicuum est nullum debere; quod docet paupertas, et haec quidem omnium, non solum novitiorum.

Probationis tempore. Intellige quicquid intercedit temporis, antequam sit aliquis professus vel coadiutor

formatus. Non enim antea necessum est bona distribui, ut constat ex multis locis in Examine, nominatim vero Declarat. 4. cap. quartae par. Hoc praeterea intellige probationem esse posse, non solum primam et secundam, sed etiam tertiam, ut complectatur universum tempus quod ante vota coadiutorum, vel professorum transigitur, qua de re in 4. cap. quintae partis annotabimus.

Iudicans in huiusmodi bonis tentationum occasionem. Causa haec esse potest distributionis idonea. Sed in eo qui alioqui scitur esse in vocatione constans, aliae etiam possunt esse causae, quare distributio iubeatur, ut devota propensio distributuri ad suam eleemosynam faciendam, si de eius item constantia non dubitetur. Tum si sat videatur temporis transiisse ad eius explorandam constantiam, vel si maior fructus spiritualis in praesentia redundet, vel maior utilitas temporalis et uberior eleemosyna pro re nata, modo quae ad spiritum, et aedificationem faciunt id patiantur. Nunquam enim propter occasionem uberioris tantummodo eleemosynae, multo minus propter rei pecuniariae nostram angustiam, nisi causa alioqui distributionis sit sufficiens, praecipi debet bonorum distributio: et fere nunquam ante elapsum biennium, ut est in 4. cap. Examinis annotatum.

De his quae domi sunt. Ac ne de iis quidem quae ipsius sunt, et adhuc non distribuit.

In eadem provincia. Non propterea in eadem dicitur quod in alia provincia huiusmodi distributio fieri non possit, sed quod illius provinciae ratio sit habenda, et multa sunt respicienda si in aliam traducenda sint illa bona. Tametsi constat fieri simpliciter illud posse ex iis quae subiiciuntur, si illa cum superioribus con-

iungamus. Nam quorsum spectaret hoc negotium dari Generali Praeposito, qui comperta habeat, quae urgeant omnia in omnibus Societatis partibus? rursus, cur esset respiciendum ne principes offenderentur, si in eadem duntaxat Provincia bona illa dispensarentur? Idem colligitur ex distinctione huius loci. Postremo scimus ita P. Ignatium intellexisse. Haec ita intelligebantur ante secundam Congregationem ex traditione, et usu P. Ignatii et P. Laynez. Quid vero postea decreverit secunda Congregatio extat 19. canone; quid vero tertia addiderit, extat can. tertio.

Tueantur. Non solum ne ab ipsis laedantur, sed etiam ne in illas incidant. Praeveniendae enim sunt tentationes.

Sive pauciores. Sive nullae, ut evenire solet.

Utantur quotidie. Scholasticis praescribitur 4. c. quartae p. ut bis quotidie conscientiam suam examinent. Haud dubie nihil minus intelligemus de novitiis. Frequentia tamen hoc loco indicatur in universum, propterea quod nonnunquam fieri possit, ut saepius etiam quam bis sit usurpandum a novitiis examen, praeterquam quod et illud particulare exerceri debet.

Consueta. Hispanice non legitur, sed est paraphrastice additum, quod potuit quidem praetermitti. Sed intelligendum tamen est, eam esse observandam examinationem quae est in consuetudine domus vel collegii.

Et octavo quoque die. De laicis hoc traditur, quorum maior solet esse numerus in novitiatu. Nam de sacerdotibus in Examine dictum est 4. cap. § *similiter*.

Saltem. Quod est in hispanico exemplari *ad minus*, non ita accipimus ut in cap. *omnes utriusque* extra. de poenitentiis, et remiss. et cap. *et si non frequen-*

tius de conservatione dist. 2., quibus locis non solum non interdicitur, sed consulitur etiam et probatur frequentior usus communionis, et confessionis. Sed nostris tamen laicis non probatur crebrior communionis usus quam octavo quoque die, nisi quando ex speciali aliqua causa communio concedatur, et quidem necessitatis potius quam devotionis habita ratione, quod diserte docet declaratio in 4. cap. quartae par. Constitutionum. Nam, etiamsi illud de scholasticis sit constitutum, consuetudo tamen Societatis est ut ad omnes laicos extendatur. Illud quoque obtinuit usus, ut, si quod incidat circiter mediam hebdomadam festum solemnius, in eo ex dispensatione communicent laici omnes. Solet item indulgeri alicui extra ordinem, ut propter devotionem frequentius quam octavo quoque die communicet. Sed hoc rarum est. Postremo illud observatum est, non esse consuetudinem, si Sacerdotes non possunt Missam celebrare, ut laicam communionem quotidie accipiant, sed ut ad laicorum regulas et consuetudines, vel dispensationes se se accommodent.

Nisi aliqua de causa. De communione intellige ut est in 4. cap. Exam.

Ab eodem Superiore. Tamen non est liberum Superiori deligere sibi externum confessarium, sed domesticum habeat, quem cuique suus Superior assignavit, ut Provinciali Praeposito Commissarius, huic vel utrique Generalis Praepositus, Rectoribus vel Praepositis localibus Provincialis. De Generalis confessario viderit generalis Congregatio.

N. *Quos casus sibi superior reservat.* — V. *Qui casus superiori reservantur.* Casuum reservatione utitur Societas, quemadmodum universus monachismus

solet. Eam enim facultatem dat simul Sedes Apostolica, ubi iurisdictionem largitur praefectis religionum, et facit ut vice episcoporum illi fungantur apud suos. Aliam tamen rationem intelligimus esse, aliam etiam necessitatem casus communiter reservandi, aliam religiosorum. Reservat sibi Summus Pontifex graviores criminum casus in universa Ecclesia; reservant item sibi Episcopi graves casus in suis dioecesibus, plures tamen casus reservantur Superioribus in religiosis ordinibus, quam Episcopis solent. Et sane nonnulla crimina reservari necessum est in religioso instituto, quae aliis hominibus nulli culpae verterentur. Ad aliqua enim gravissime obligantur religiosi quae nihil ad reliquos homines, et quidem quo districtiori vivunt observantia monachi, eo accuratiori casuum reservatione utuntur. Solent autem spectare Episcopi, ut peccata graviora ad primarium iudicem etiam in foro conscientiae referantur, quo melius et privatae rei, et personae, et reipublicae consulatur, quae omnia in religioso instituto ad perfectionem usque sunt procuranda; sed ratio praeterea aedificationis religiosae, ratio periculi atque offendiculi tum publice tum privatim est observanda. Breviter: religiosorum praefectis videndum, ac providendum est, ne quid detrimenti patiatur vel institutum, vel qui in eo vivunt, si quid negligatur auxilii quod ex hac reservatione casuum sumi possit legitime. Ex his facile probabit quivis casus in Societate reservatos, de quibus traditur separatim, neque enim aliquis casus reservatur necessario qui non sit mortiferum peccatum; tametsi, ut obligat Societas ad venialia confitenda (nam praecipit ut octavo quoque die fiat peccatorum confessio) mirum non esset si peccata nonnulla venialia

reservata esse vellet, ea scilicet quorum iudicem in foro interiori faceret Superiorem ipsum; sed quum hoc non faciamus, tamen ubi graviores contingunt culpae veniales, vel quae alioquin augent imperfectiones, et laxitatem vitae inducunt, eos quidem non reservamus, sed consulimus in confessione, ut ad Superiorem confitens de his referat item in confessione; quod si quis nolit et perseveret in illa animi laxitate vivere, ibi illum non debet confessarius suus absolvere; non quod casus sit necessario reservatus, sed quod illius nolit amplius audire confessionem, ut eius qui sub eo confessario non proficit in spiritu; qua de re in annotationibus in casus reservatos et in responsionibus visitationis dictum est. Praescripta est autem casuum reservatio, qua nunc utimur, a secundo Praeposito Generali Magistro Laynez, quibus casibus illi expositi sunt, quos acceperamus a P. Ignatio, et rursum 7. 11. et 12. P. Laynii fuerunt in 2. Congregatione generali declarati. Sic igitur omnium casus reservari intelliguntur, praeterquam Generalis Praepositi. Nam facile interpretari possumus sub Provincialibus Visitatores vel Commissarios comprehendi; in Praeposito vero Generali constare vix potest peccatorum reservandorum ratio in foro interiori. Nam de quibus in 4. cap. nonae par. Constitutionem iudicat Societas, ea ad forum exterius plane spectant. Commodissimum igitur videtur futurum, si, quemadmodum designat Societas admonitorem Generali, ita confessarium nominaret selectissimum patrem, qui mutari non posset, nisi consultis et probantibus Provincialibus, vel maiori eorum parte, similiter atque de Assistentibus statuitur, 5. cap. nonae par. Constitutionum. Reliqua Deo sunt committenda.

Et in rebus spiritualibus sufficienter versatum. Paraphrastice versus est hic locus, nam est hispanice *sufficientem,* idest idoneum, quod spectat non tantum ad res spirituales, sed ad externam etiam conversationem, et totam rationem instituti, suavitatem, et solertiam; breviter ad ea omnia in quibus instruere debet novitios.

Huic vel confessario vel Superiori. Siquidem fieri commode possit ut alius sit spiritualium rerum superintendens, alius confessarius, alius superior, vel magister novitiorum, nihil plenius. Primus enim curaret spiritualia, et religiosam conversationem in foro quidem secreto, non etiam confessionis; alius conscientiae consuleret in sacramentali confessionis foro; praefectus novitiorum vel magister haberet plenam iurisdictionem in omnibus. Verum non erit semper necessarius hic numerus, sed poterit idem esse superintendens rerum spiritualium ac confessarius, vel idem praefectus et superintendens. Illud autem usus docet utilius esse, ut qui confessarius est ordinarius, is magister non sit novitiorum vel Superior domus; saltem minister esse non debet, et is qui immediate agere solet cum fratribus in rebus externis, illis praescribere gerenda, illis dare poenitentias, tametsi ea debeant esse humilitate, ea iudicii abnegatione atque animi simplicitate omnes, ut offendi in animum non inducant, etiam si minister sit confessarius.

Antevertere oportet. Non tantum ut, si accidant, habeamus quibus armis resistamus, sed illud etiam providendum est, ne omnino eveniant, quod curare possunt Superiores non solum exercitio contrariarum virtutum, et opportuno usu mortificationum, sed etiam gra-

viora non praecipiendo vel ea quibus turbari possent infirmiores.

Convenit foeminas. Est hispanice *es bien:* idest bonum est, si de verbo reddamus; utcumque dicatur, ex modestia phraseos P. Ignatii non intelligimus non esse efficacem ac vehementem hanc prohibitionem, nam eisdem verbis utitur, ubi planissime prohibet nec Generalem Praepositum nec Societatem universam dispensare posse in impedimentis quinque, quae solemus appellare essentialia, ut legimus in 3. cap. primae partis Declarationum, et 2. cap. quartae par. Constitutionum.

Et eorum quos sibi substituet. Poenitentiarum graviorum impositionem sibi reservabit Superior, quarum executionem fere committet ministro; leviores poterit minister ex commissione etiam imponere, non solum executioni mandare.

Admittere deberet. Non est imperfecta praeceptio haec vel obligatio levis, ut verbum *deberet* indicare videri potest; sed ita pronuntiamus, partim ut admoneamur vincendas esse in poenitentiis accipiendis obvenientes tentationes, partim ut persuasum nobis sit pendere hanc obligationem semper, neque unquam fere illi esse perfecte satisfactum. Semper autem niti ad humilitatem maiorem atque animi simplicitatem deberent ad maius emendationis, et spiritualis profectus desiderium, quae virtutes in poenitentiis accipiendis, praesertim si nulla ex culpa inducuntur, praeclare exerceri solent.

N. *Propter defectum non culpabilem* — V. *culpae vacantem.* Ut est usitatum in Societate dari non solum poenitentias, vel reprehensiones fieri, nonnunquam etiam accusationes ad maiorem fructum spiritus, ad maio-

rem humilitatem, et patientiam, et simplicitatem promovendam, non propter admissam culpam.

Syndicus vel censor. Quem enim vulgo dicimus syndicum, is scilicet est censor latine vel potius observator. Nam syndicus significat patronum vel advocatum.

Externam pertinet. Et si qua exterius videbuntur alia observanda. Est autem commodius, ut observatores sint secreti, saltem aliqui, a quibus nil sibi caveant fratres.

Vel eundem qui erat. Non solent hanc facultatem accipere observatores. Neque enim illorum est, res, de quibus referunt, improbare, sed observationem suam referre ad Superiorem; posset tamen illa dari libertas syndico, cuius iudicio plane confideret Superior, tum etiam prudentiae et dexteritati.

Curent omnes. Quum omnes Constitutiones perfectionem praeseferant singularem, sunt tamen aliqua loca, quod praeter coetera id facere videntur, qualis est hic, ubi expetit a suis Societas tam egregiam virtutum exercitationem ut illo habitu etiam in infirmitate facile uti possint. Similis est locus 3. cap. sextae par. Constitutionum, et alibi, ut suis locis annotabitur.

Quandoquidem non inferius est sanitate. Speculative hoc non intelligimus vel definimus, neque definiri in universum hoc facile potest, sitne bonae valetudinis gratia maior quam aegritudinis, an contra; quandoquidem ex fine, et aliis circumstantiis haec est gratia metienda, non ex re ipsa quae indifferens est. Non igitur hoc agimus, sed promptitudinem animi insinuamus, tum abnegationis, et patientiae specialem sensum ac perfectionem, quae facit, ut practice nihilo videatur

minor gratia infirmitatis quam valetudinis, praesertim si utramque a manu Domini profectam consideremus.

Quoad eius fieri poterit. Intentio animi significatur, ut in re in primis necessaria, constanter nitens ad id efficiendum quod praecipitur; non innuitur id fieri aliquando non posse quod praescribitur.

Saltem tribus committat. Usus est ut duo diligenter examinent singula, tertius accedat ad duorum consensum, et ubi dissentiunt, ad alterutriusque sententiam; ad tertium enim referunt diligenter illi duo; ipse etiam examinat quatenus est necessarium.

N. *Aliquando intra annum* — V. *singulis annis.* Frequentius quidem sacerdotes pro eorum multitudine; Superior etiam ter aut quater in anno, unum aut alterum diem.

Quo aliis gratius reddatur. Una est haec causa et quidem praecipua: simul ea exercitatio conferet ad humilitatem Superiorum et sacerdotum.

Explicetur. Proprium hoc est domorum probationis, non etiam collegiorum vel domuum professorum, nisi si quando exigere videbitur coadiutorum temporalium vel necessitas vel utilitas, ut illis rursus explicetur.

Meditandi et legendi. De ea lectione intellige quae solet in subsidium adhiberi, vel ad maiorem etiam utilitatem meditationis, devotionis, orationis, breviter omnium virtutum atque exercitiorum spiritualium, atque ad imprimendum penitus nostrorum animis spiritum Societatis, et vocationis nostrae institutum. Hanc possumus dicere rationem legendi practicam ac devotam.

Ut addiscant quae conveniunt. In eo genere de quo dixi modo. Hinc vero constat studio dare operam de-

bere novitios non litterarum speculative, sed virtutum devotionis practice, quod diserte item statuit penultima § huius cap. Audiant igitur novitii lectiones, quibus exponatur catechismus, ratio instituti, Constitutiones, quae ad ipsos spectant, regulae et alia, de quibus hoc capite agitur. Has lectiones poterunt inter se conferre, legere praeterea libros de rebus spiritualibus etc.

Ut memoria teneant, et exerceant. Curandum scilicet est ut quae devotione sive sensu spirituali assequuntur novitii, ea non solum retineant, quod facient etiam in suis libellis ea annotando, sed actione exprimant et exercitatione etiam externa stabiliant. De his rebus iudicium habebitur in examine singulorum frequenti, in collationibus spiritualibus, denique in quotidianis actionibus.

Ad quod confert. Exercitia quidem spiritualia sunt novitiis omnibus communicanda ad probationem; et primo quidem loco, quod diserte traditur in Examine: probantur autem per exercitia qui recipiuntur, ut exploretur qui sint idonei ad res spirituales, simul ut iaciatur legitimum et necessarium fundamentum cognitionis Dei et amoris, tum etiam aliarum rerum, quae ad contemplationem vitamque spiritualem pertinent. Igitur quod hoc loco dicitur, non solum necessario agendum intelligimus, si non egerint exercitia ante alias probationes, sed repetenda esse eadem vel alia ad illorum rationem tradenda, si utile iudicatur fore novitiis.

Convenit omnes exerceri. Excipiuntur in 4. cap. Examinis, qui sunt pro coadiutoribus temporalibus admissi.

In concionibus domesticis. Hae conciones in refe-

ctorio haberi solent inter prandendum vel coenandum. Habentur item ab his qui aggressuri sunt primam probationem, praesentibus selectis observatoribus. Addimus quos dicimus tonos, hoc est breves exercitationes ad triplicem actionem accommodatas, ut primo tono diserte ac sedate rem proponamus, 2° ut dulciter animi affectus moveamus, 3° ut vehementer deterreamus vel reprehendamus, et hoc vel conceptis quibusdam verbis ac rebus vel per imitationem aliis. Horum tonorum non solum auctor fuit Pater Ignatius, sed diligens promotor quoad vixit. Toni haberi solent a novitiis frequentius, alternis scilicet diebus; ab scholasticis festis diebus conciones; pro numero maiori fratrum ab utrisque crebrius. Adhibentur praefecti concionum et tonorum qui emendent, et instituant sicubi sit opus. In domibus professis non habentur toni vel hae conciones, nisi a novitiis qui ibi probentur, vel alioqui si quis ex aliis videretur exercitandus.

Aliqua hora a prandio. Eam solent insumere alternis diebus novitii, ut dictum est, in tonis tum communibus tum particularibus, qui scilicet habentur per imitationem et similitudinem communium, integram quidem, praesertim ubi multitudo eorum id requiret. Scholastici vero octavo quoque die horae quadrantem ultimum vespertinae recreationis, nisi etiam hic horae medietas esset propter multitudinem insumenda.

Et sentit. Iudicat, quocunque signo id certo intelligatur, vel deprehendatur.

Ubi peccatum non cerneretur. Haec est ratio obedientiae perfectae quae nobis proponitur, ut in rebus omnibus non executione solum ipsa, et voluntate, verum etiam abnegatione iudicii obediamus, auctoritate

Superioris et voluntate ducti ac persuasi in Christo ex gratia vocationis nostrae. Superiori enim tanquam Christi Vicario et interpreti obedimus, et in ipso Christum agnoscere, et venerari, quantum decet, debemus; neque esset necessum addere illam exceptionem, ubi peccatum non cerneretur. Non enim illam addit D. Paulus, ubi 3. cap. ad Coloss. praecipit, ut filii parentibus, servi dominis per omnia obediant. Neque enim obedientia illa esse potest, quae peccatum praecipit, sed tamen non incommode illa exceptione utimur, ut D. Basilius 22. cap. constitutionum monasticarum. Quemadmodum (inquit) oves pastori obediunt, eo divertentes quocumque illas egerit pastor, ita est consentaneum, eos qui spiritualiter exercentur iis obedire qui praesunt, neque curiose disquirere quae praecipiuntur, ubi nullo peccato illa inficiuntur. Et D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 5. cum pronuntiat perfecte obedientem obedire in omnibus, addit licitis. Voluerunt homines Sancti infirmorum rationem habere fortassis non necessariam, et explicare, quod fuit necessum intelligi; sed tamen rursus caveant novitii, caveant omnes, ne cum audiunt esse obediendum ubi peccatum non cernitur, iudiciose agant et curiose in obedientia. Non enim eorum est iudicium, num peccatum sit facere quod praecipitur, sed Superioris, et obedire quidem alioqui in re dubia laudabile est. Dissolvit enim dubitationem praecepti certa obedientiae obligatio. Quod si dicas fieri tamen posse ut peccatum iubeat Superior manifestum, nullus negat; verum hoc te cogitare tentatio est. Hinc enim facilis est progressus ad inobedientiam, sed minor tamen tentatio esset si speculative quis illud consideraret, maior et periculosior si pra-

ctice, et unde extat incitatio ad inobedientiae vitium. Sunt igitur omni studio huiusmodi cogitationes ex animo depellendae atque in simplicitate atque claritate obedientiae in omnibus, citra delectum vel iudicium proprium, est obediendum in fide eius, cui credidimus in hac vocatione atque instituto, atque sperandum nihil praeceptum iri, quod e voluntate Dei non sit profectum; simul si quid (quod nunquam tamen erit) praeciperetur quod apertum peccatum contineret, similiter hoc erit accipiendum in simplicitate ac pace cordis tui, atque si tibi aliqua res impossibilis praeciperetur, quam adire quidem deberes in puritate, atque simplicitate obedientiae usque ad praesentem impossibilitatem exclusive. Si enim tibi praeciperet Superior, ut supra mare ambulares, nulla ratione habita impossibilitatis, mare tibi esset ingrediendum uno saltem vestigio, ac ubi videres te super aquam pedibus consistere non posse, redeundum tibi esset ad tuum Patrem, ac renunciandum, te quidem voluisse ambulare supra mare, non potuisse tamen. Si igitur quod excusari a peccato non posset, tibi praeciperetur, voluntas obedientiae esset prompte exerenda, et ita ad praeceptum obediendum, ac si nihil esset in eo reprehensibile. Verum ubi ad peccatum adverteres et videres te non posse illud facere, ad confessarium tuum esset res deferenda, ut is de ea re censeret et tibi vel eximeret tentationem vel exponeret rationem obedientiae in illo praecepto non constare, essetque inter te et Superiorem tuum quasi sequester in Christo Iesu. Quod si confessario acquiescere non posses, ad consiliarios adires; si vero nec his crederes, illud certe videres te male esse tentatum, nec tui esse compotem. Quare ad orationem et poenitentiam te

deberes serio convertere, ut Deus te in viam revocaret humilitatis atque obedientiae.

Quo exactius conformentur primae. Est enim obedientia, sunt etiam Superiores instrumenta, quibus Dei voluntatem intelligimus. Per haec enim nos gubernat Deus; in his elucet, in his efficax est singularis illa gratia, qua Societatem Deus complectitur ac fovet.

Ut matrem. Nam si faecunda virorum paupertas est, quod ethnici etiam cognoverunt, quantum existimare debemus eam esse faecunditatis assequutam consilio, institutione, exemplo, commendatione, virtute, gratia, spiritu Christi Iesu.

Eius effectus aliquos. Curabunt id Superiores consulte ac providenter, non frequenter admodum, nec nimium, sed raro, ut aliquid sentiant patres et fratres sibi deesse ex iis quae necessaria, vel usitata sunt in cultu corporis, in victu, in cubiculo. Idem ipsi tum expetere tum postulare poterunt ac debebunt a Superioribus, ut sibi liceat.

Quibus praevenit nos. Purus ac sincerus charitatis affectus ille est, quando Deus propter se amatur; huc intentio nostra unice est dirigenda. Amatur praeterea Deus, illi servitur, illi gratias agimus propter beneficia accepta; sed hoc ipsum ad charitatis unicum illum affectum tandem est referendum, quoquo pacto sive re ipsa id fiat, sive virtute ac proposita quadam animi intentione atque efficacia.

Potius quam ob timorem. Non est haec propria comparatio, neque intelligendum est propter solum timorem poenarum, vel spem solam praemiorum Deo esse nobis aliquando serviendum, ut alia excludamus; sed cum tota intentio tandem sit ad charitatis purum

affectum dirigenda sincere atque unice (haec est enim ratio meriti, hinc ratio perfectionis constat) iuvat tamen usus huius timoris ad affectum illum introducendum, iuvat praemiorum etiam spes; his igitur uti non solum erit utile, sed plerumque etiam necessarium.

Omnium creaturarum. Non ita seponendum omnium creaturarum amorem intelligas, ut exerceri non possis in amore humanitatis Christi, crucis, Sanctorum, Sacramentorum, virtutum, proximi. In his enim non exerceri solum licet, sed necesse est. Reiiciendus igitur est omnium creaturarum usus, qui vel non iuvat, vel etiam impedit Dei amorem, et in solo Deo collocandus, et in his quae ad hoc iuvant. Verum et pie et luculenter statim contextus docet, quemadmodum creaturae amandae sint, quae expositio sat esse posset ad huius loci intelligentiam.

Studium in quod. Quale hoc esse possit ac debeat, superius hoc cap. est annotatum.

In domibus Societatis. Ubicunque novitii probentur intelligo. Possunt enim non solum in domibus probationum vel etiam professorum, sed in collegiis quoque probari.

Et in virtutibus. Iuxta proprietatem gratiae nostrae vocationis, atque instituti.

In domibus non erunt. Proprie hic intelliguntur domus vel professorum vel novitiorum. Nam collegia ad studia litterarum sunt destinata. In his tamen si exerceantur novitii, illis collegia fient domus probationum; siquidem in illis dare non poterunt operam litteris, quandiu probationibus exercebuntur.

V. *Sit aliquis domi.* Etsi de domibus novitiorum hoc dici videtur, usus tamen habet, ut in collegiis

similiter huiusmodi habeantur exhortationes; nec sunt omittendae in domibus professis; in singulis locis tamen sua ratio exhortationum erit observanda, et sua frequentia.

V. *Vel certe quintodecimo die.* Obtinet consuetudo ubique ut nunquam differatur ad decimum quintum haec exhortatio, sed octavo quoque fiat.

Et aliquoties singulis annis. Non est negligenda haec disciplina a nostris; si vero videretur negligi, deberent officii admoneri a Superiore. Porro sat esto, si quater aut quinquies id facerent singulis annis, et quidem simul omnes. Privatim vero singuli eximium fructum referent, si frequentius etiam Superiorem orent, ut suorum defectuum ipsos admoneat familiariter. Solent enim multa accidere nobis imprudentibus, quae alii facilius animadvertunt, praesertim Superiores, tum per se, tum per observatores.

IN SECUNDUM CAPUT TERTIAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Si senserint rem deferendam. Duo ex oratione colligenda sunt; unum ut sedatis passionibus (si quae forte interturbarent) res aliter non appareat quam sit; alterum ut recte atque ordine statuatur rem non esse reticendam, ne scilicet propter humiliationem, vel desiderium aliquod mortificationis, vel patientiae, intempestive quis patiatur et interim iactura fiat vel studii, vel orationis, vel sanitatis, vel omnino potioris

alicuius boni. Neque enim mortificationibus quis proprio consilio uti potest, inconsulto Superiore, ut primo capite Examinis est dictum.

Tempus quoad eius fieri pòterit. — Statuatur quantum fieri potest. Sic in exemplari hispanico, quod praetermisit interpres prima editione; secunda addidit. Est autem haec confirmatio rei necessariae, non etiam significatio facilis dispensationis vel omnino dispensationis, quae etiam si intercedere posset insigni aliqua ex causa ac necessitate, ea tamen vel nunquam erit, vel tam erit rara, ut non videatur esse facile exprimenda, ne via facta esse videatur dispensationi.

Communiter omnes observent. Communiter dicitur, quod locus sit dispensationi ex causa.

In quo probetur. Hoc proprie attinet ad novitios, qui in paupertate, patientia et variis mortificationibus identidem sunt exercendi; poterit tamen scholasticis, et aliis omnibus accommodari opportune.

Habita convenienti ratione. Respicienda scilicet est necessitas mortificationis, vires praeterea corporis vel etiam animi ad illas perferendas.

Corporalis exercitatio. Hac complectimur quietem a prandio et a coena, tum animi recreationem, quae conceditur singulis hebdomadis, et quicquid reficere animi vires vel corporis potest honeste ac religiose.

Etiam illis qui mentalibus. Non ita loquimur quod hi non egeant similiter quiete et recreatione, sed quod vulgo putentur non indigere, vel ipsi aliquando sibi persuadeant se illis subsidiis non indigere.

Confessario. Potest etiam immediate Superiori et in gravioribus deberet, sed confessarius propterea nominatur, quod explicatius ipse noverit illius conscientiam

et possit probare vel improbare externas mortificationes, quae pendent ex confessione. Tametsi de his etiam, ubi res esset gravis, ex voluntate confitentis debet ad Superiorem referre confessarius.

Convenit. Moderatio est phraseos; intellige tamen necessariam convenientiam nec praetermittendam.

Sit aliquis domi. Est hic praefectus sanitatis, cuius est opera admodum necessaria; praesertim in collegiis frequentioribus, praeter hunc est infirmarius.

V. *Si male se habere senserit.* Additur in exemplari P. Ignatii *extraordinariamente;* idest extra ordinem, si adversa valetudine se laborare senserit; quod additum est ad repellendos scrupulos, ne ex levi suspicione vel sensu adversae valetudinis continuo arbitretur quivis rem esse deferendam ad praefectum infirmorum; et tamen intelligitur nihil esse facile dissimulandum, quod praeter solitum gravet valetudinem; quod si quis affecta utatur corporis valetudine, etiamsi assidue sic patiatur, tamen est declarandum praefecto sanitatis.

Et ratio, praesertim ex paupertate religiosa ducta.

Alicui demandari hoc munus est hispanice *mas en particular,* idest ad verbum, magis in particulari. Vetus vero editio utrumque omisit, nova alterum, et tamen utrumque intelligi debet. Nullus autem est adhuc designatus qui solo hoc munere fungatur, sed illa cura esse solet propria procuratoris, nec negligere debet illam Superior, minister, subminister, singuli suo gradu ex officio.

V. *Coadiutores in rebus externis.* Quandoquidem de novitiis hic agitur, coadiutores constat eos intelligi novitios, quos applicandos censet Societas ad ministeria

externa. Colligere autem licet ex hoc loco, earum rerum solum significari addiscenda artificia, quae honestius domi quam foris fiunt; non etiam esse quaevis artificia a nostris exercenda; tum qui scholastici sunt futuri, eos non esse necessum huiusmodi artificiis institui, etiamsi utile sit ac etiam usitatum, ut hi addiscant libros compingere, barbas radere, vestes etiam reficere.

IN QUARTAM PARTEM CONSTITUTIONUM PROEMIUM

SCHOLIA

Praeter vitae exemplum. Quod a religiosa virtutum exercitatione, atque splendore in Domino proficiscatur.

In iis qui admissi sunt. Est haec libera paraphrasis: nam hispanice tantum est *in his*, quod commodius referri videtur ex phrasi hispanica ad eos qui retinentur in Societate, de quibus in titulo proemii dictum erat proxime.

In domibus vel collegiis, ubi solet etiam esse secessus novitiorum.

Nec tamen doctrina. Neque tamen qui doctrina satis instructi veniunt pro ratione nostri instituti, et sui gradus, hi non poterunt in collegiis versari. Nam fiet fere, ut ad peculiarem rationem concionandi ac aliorum ministeriorum Societatis sint exercendi in collegiis, ut 8. cap. huius partis exponitur.

IN PRIMUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Collegiorum utitur. De suffragiis domorum probationis vel professarum quae fundatoribus applicantur, etiamsi hoc loco non agatur, hinc tamen colligimus, quid de illis sit statuendum. Nam dubium non est, eandem omnino rationem esse in fundationibus domorum probationis atque collegiorum. Hae enim domus, et redditus possidere possunt, et alunt fere futuros scholasticos; et tamen eorum qui domos professas fundarunt, praeterquam quod aequitas idem postulat et gratitudo, P. Ignatius reipsa declaravit, eandem esse rationem habendam, atque eorum qui collegia fundarunt. Omnia enim sacra et orationes praescripsit faciendas pro fundatore Domus Romanae P. Petro Codacio, qui primus fuit procurator Societatis; candelam etiam illi offerendam curavit. Postea Congregatio generalis tertia minus dedit domorum professarum fundatoribus; de domorum probationis nil dixit.

Pro eius fundatore, et benefactoribus. Etiamsi allici videri possint fundatores ac benefactores hac pollicitatione Missarum, non tamen eo spectavit Societas, sed providit necessario, ne per negligentiam omitteretur quod voluit praestari in eleemosynam spiritualem iis qui sua beneficientia collegia erigunt, vel eorum benefactores haberi possunt. Neque enim, si fundator unus dici non possit, iuvet tamen sua beneficientia collegii fundationem vel dotationem, is suo suffragio

carebit; verum quis sit pro fundatore habendus, id iudicabit ac pronunciabit vel Societas, vel Generalis Praepositus. Nam si quis plenum collegium solus fundaverit et ditaverit, is dubium non erit quin sit pronunciandus fundator; sin alii fundationem iuverint, is erit habendus fundator, qui multo maximam partem fundationis et dotationis confecerit. Quod si quis promisisset se fundaturum collegium, et eius rei fidem dedisset publica stipulatione, praesertim si nobis esset persuasum id illum posse praestare quod promisisset, et probatae fidei esse hominem constaret, huic possent quidem iam inde applicari suffragia ex liberalitate Societatis et benignitate, non deberent tamen ex obligatione constitutionis.

Candela cerea. Cereum intelligimus, ut in eo possint insignia eius appingi.

Aut devotionis insignia. Pro voluntate fundatoris deligenda, aut Societatis, si nihil significaverit fundator.

Indici per universam. In eodem tamen collegio intelliguntur statim esse tres illae Missae inchoandae; et in eadem Provincia ac natione indicendae a Provinciali ex commissione Generalis Praepositi, a quo intellexerit quis sit habendus pro fundatore; et ad Generalem Praepositum esse primo quoque tempore scribendum, ut ille reliquis nationibus idem indici curet.

Illi excesserint. Ubi vita excesserit fundator, indicuntur haec tria sacra, quae applicantur etiam benefactoribus eo tempore defunctis. Alioqui in communi applicatione sacrorum, ut nunquam intermittendi sunt vivi benefactores, ita nec mortui.

Orare debent. Certum tempus orationis vel certa oratio non praescribitur. Videtur tamen indici posse

ut recitentur septem psalmi poenitentiales, vel unus Nocturnus cum laudibus pro defunctis; pro vivis vero ubi applicatur Missa, ut eo die singuli quod audiunt sacrum, id offerant et in eo praeterea orent ad eam intentionem, quae praescripta est.

Possit. Potentiam intellige moralem, quae potius convenientia quaedam est suis circumstantiis vestita; ea constat ex iudicio Superiorum, non ex re ipsa, ne scrupuli hinc exoriri possint, vel importuna servitia a Societate exigi ab externis.

IN SECUNDUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Omnino eis utatur. Est hispanice *en todo dellos disponga,* idest, omni in re de eis disponat. Unde non usum collegiorum solum intelligere possumus, sed constitutionem omnem, curam, munera, lectiones, numerum personarum, libertatem gubernationis iuxta institutum etiam dari Societati liberam. Quo loco illud animadvertendum, si contingat tam liberaliter dari collegium Societati, ibi vero optima fide debere Societatem agere, et providere ut sit illud collegium omnibus numeris absolutum iuxta institutum, ut sit perpetuum durante dotatione, et in his rebus eo spectare, si quid sciat eum qui dat collegium desiderare, quod, pro sua benignitate in Societatem et fide, non petit nec pacisci tur.

Plenam potestatem habebit. Est igitur auctoritas

haec Generalis Praepositi tota. Itaque ubi aliquo utatur administro Generalis ad recipiendam collegii alicuius fundationem, eam tamen non censebitur admisisse Societas, donec acta a Generali confirmata fuerint, praesertim cum ex ultima § 3. cap. nonae partis Constitutionum confirmanda esse intelligamus, quae ex commissione Praepositi Generalis aguntur. Quocirca considerate in primis agendum est in communicanda hac facultate, ne forte eveniat, ut necessum sit Generalem Praepositum ea revocare, quae ex eius commissione gesta sint, et fiat non vulgare offendiculum externis.

Quos ipse. Praeter Assistentes intellige qui praetermitti non possunt, si qui videantur consulendi.

Utile sit futurum. Non sunt quidem collegia cum conditionibus Societatis instituto minime consentaneis recipienda, neque hoc permitti hac institutione intelligimus; sed cum difficultates intercedere soleant in fundandis collegiis, erit Praepositi Generalis primum animadvertere, num conditiones eiusmodi sint, quae pugnare cum instituto Societatis videantur. Quod si accideret, illud non posset dissimulari, sed reiicienda esset illa fundatio. Verum si aliae difficultateś intervenirent tolerabiles, ibi arbitrium Generalis Praepositi erit, an ad illas sit connivendum, quod aliis commoditatibus videantur redimi difficultates illae ac resarciri.

Sed si temporis decursu. Potest quidem dimitti cura collegii fundati, si Societatem adigere non possit fundator, ut promissis et obligationi susceptae stet. Si igitur hoc patiatur vel fundator, vel fundationis ratio, dimitti potest collegii cura, et dissolvi plane collegium revocatis nostris, et tamen id non poterit

solus Generalis, quemadmodum in declaratione exponitur. Ne igitur in has angustias deveniatur debet curare enixe Generalis, ut fiant fundationes pleniores, sed longe erit attentius ac consideratius et animadvertendum et cavendum, ne obligatio recipiatur vel imponatur Societati, quae difficultatem afferre possit perpetuitati collegii. Illud etiam in fundationibus erit curandum, ne cogi possit Societas ad curam collegiorum retinendam, modo quae susceperit ex fundatione omnia dimittat voluntati fundatoris quo velit applicanda. Quae libertas esset semper in fundationibus exponenda.

Ad relinquenda, vel alienanda Collegia. Quod hoc loco alienare legamus, et in diplomate confirmationis dissolvere, vel alienare domus vel collegia Generalem posse etiam, nihil quemque moveat. Non enim intelligimus transferri posse vel in aliam Societatis partem, vel in externos, ne a Societate quidem universa, dominium domorum vel collegiorum semel rite erectorum, sed nihil aliud quam curam collegiorum vel domorum, et obligationem semel contractam dimitti posse, hoc dicimus alienare. Idem igitur intelligimus relinquere, et alienare. Nam est hoc, ut subditur in constitutione, separare unum membrum a corpore Societatis; quare non est in aliam partem Societatis transferre, nec in externos; quod compertius est, quam ut dubitari possit. Verum ne detineri hinc possint fundatores, vel omnino ne vereantur, rem eo spectare, ut pro suo arbitrio bonis collegii abuti possit Societas, quid, ubi omitteret ipsa curam collegii, de dotatione fieri possit, id exponit declaratio.

Domos. Probationum vel professas. Tametsi fieri

vix possit, ut difficultas occurrat, quapropter hae sint domus dimittendae, vel etiam collegia, in quibus Societas curam non suscipit docendi, quandoquidem ex mera liberalitate illa solent erigi, nulla obligatione intercedente.

Melius est. Loquitur P. Ignatius ex phraseos suae modestia; *melius* dicit quod intelligebat esse necessarium ex instituto et diplomate confirmationis.

Nec curam animarum. De ratione finis nobis ex vocatione nostra et instituto praescripti curam accipimus quidem animarum, verum non ab externa aliqua obligatione, sed tantum ea quae extat ex instituto et quae exercenda sit ex obedientia religiosa. Itaque cura illa nostra non pendet ab Episcoporum iurisdictione; nec habet coniunctum ius ecclesiasticum accipiendi oblationes et alia temporalia stipendia, quae possidentibus saecularia beneficia debentur. Et haec quidem est praecipua causa quare curam animarum non accipimus, vel beneficia curata, ne scilicet subdamur disciplinae ordinariorum, unde obedientiae religiosae districtio enervari possit, vel pro nostris ministeriis accipiamus, aliquo nomine, emolumenta temporalia, quod pugnat cum ratione nostrae paupertatis. Est alia causa, ne libertatem nostrarum missionum amittamus, quae magnum est illud Societatis ministerium, et necessario conservandum. Haec autem nobis periret libertas, si obligaremur curis animarum parochialibus etc. Aliam praeterea causam addere possumus. Nam eo spectat Societas ex instituto, ut iuvet ecclesiasticam Hierarchiam. Dat igitur operam ut curata beneficia conserventur suis parochis; hi ut honeste accipiant et vivant; nos et ipsis et Episcopis sub-

servire enitimur ex nostra obedientia. Quod si tanta esset in aliqua Provincia penuria Parochorum, ut plane videremus animas vel perire propterea, vel periclitari, ibi Societas posset vel etiam fortassis deberet rationem aliquam vel modum invenire, quo illis animabus succurri, illaesa disciplina religiosa, posset, ut si quasi in missionem aliquis destinaretur pater, qui ex institutione et sui Praelati obedientia iuvaret illas animas quasi Parochus ad tempus, nil accipiens nisi victum et vestitum pro se et socio; iura omnia parochialia curaret recipi ab Episcopo. Sequeretur hic in administratione Parochiae Episcopi voluntatem ex obedientia sui Superioris, nec Episcopus iurisdictionem exerceret in nostrum, sed eius Superior cui esset liberum suos, ubi vellet, revocare. Ratio vero haec nunquam erit instituenda, nisi necessitas et iactura animarum ad hoc adigat, ut in Germania et Indiis. Nec propterea curam animarum susciperet Societas Parochi vel Episcopi, sed suam ex instituto religiose exerceret.

Nec obligationes ad missas. Similis ratio accommodari hic potest, ac dicta fuit de cura animarum. Nam et solet esse coniuncta eleemosyna istis obligationibus, et Episcoporum est curare, ne legata haec pia vel obligationes negligantur.

Quae quoad eius fieri potest. Non sic enunciatur quasi aliqua possit obligatio suscipi, sed omnis facultas adimitur obligationis contrahendae, quod explicat declaratio.

Possessionem Collegiorum. Hic professa Societas collegiorum possessionem accipit, et in diplomatis Pauli tertii et Iulii tertii potest habere collegia con-

struenda et dotanda etc. Et hoc quidem conceditur in diplomatis, postquam dictum est non posse professos, ne in communi quidem, ad bona ulla stabilia retinenda ius aliquod civile acquirere etc. Ne igitur haec contraria invicem esse videantur, dicendum est compendio de paupertate Societatis professae, de qua tamen proprius est locus, ut in sexta parte dicatur. Habet igitur Societas professa universa, quae complectitur etiam coadiutores formatos, dominium in communi rerum earum, quae opportunae revera sunt iuxta eius institutum ad usum proprium et habitationem, quod diserte exponunt eadem diplomata; aliorum bonorum stabilium, ne in communi quidem, potest acquirere dominium suo nomine, ut retineat; potest tamen acquirere, ut vendatur, quod exponetur in sexta parte. Itaque merum dominium in communi habet eorum, quae ad usum spectant et habitationem, bonorum vero aliorum stabilium, si quae illi donantur, simplex, ut quibus uti non possit, sed quae teneatur primo quoque tempore vendere, et pretium pauperibus erogare. Bonorum autem, quibus dotantur collegia et domus probationum, item habet simplex dominium Societas universa in communi, nullum tamen usum, nec de facto, nec de iure; exercet vero hoc dominium Societas per Generalem Praepositum. Ubi igitur dotantur collegia, quandoquidem ea sunt Professae Societatis, censetur illi acquiri dotationis simplex dominium, ita scilicet ut simplex usus, et utendi ius competat his solis, qui iuxta institutum in collegiis versantur. Quocirca quamvis omnis administratio et dispensatio horum bonorum ad professam Societatem attineat, iure tamen utuntur illis collegae, tametsi non suo arbitrio et auctoritate, sed

Societatis per Praepositum Generalem. Itaque si quando accideret (quod Christus avertat) ut bona illa non insumerentur in alendo collegio, iure agere posset collegium adversus professos, ne illo usu fraudaretur. Haec satis sit velut typo dixisse hoc loco: eadem ratio obtinebit in domibus probationum, ut quae ex redditibus fundantur qui in alendis novitiis eorumque ministris insumi debent.

Et Rectores qui ad id. Est hispanice ad verbum *poniendo Rectores,* quae phrasis illum sensum facit, ut Rectores possessionem collegiorum nomine Societatis accipiant. Et tamen alioqui est necessum intelligi per Rectorem vel Provincialem posse collegiorum possessionem recipi.

Qui curam suscipiant. Primum quidem gubernandi collegium in spiritu, et litterarum studiis iuxta Societatis institutum, simul administrandi res temporales, quemadmodum hoc loco exponitur.

Necessitatibus. Sub his utilitates etiam comprehenduntur quae, ut proficisci debent ex paupertate, ita facile intelligi possunt sub nomine necessitatum, quasi dicas pauperes utilitates, vel necessarias utilitates. Haec ita dicimus, ut scrupulos abigamus.

Materialis aedificii. Non est tamen facile concedendum Rectoribus, ut suo iudicio aedificent. Re enim ipsa compertum est, maius esse iudicium adhibendum quam Rectorum, ut novi aliquid operis extruatur. Quocirca observandum est ut, inconsulto Provinciali, nihil aedificent Rectores, nisi aliquid intercederet quod moram pati non posset vel alioqui modicum esset. Ac ne Provinciales quidem nova collegia vel templa aedificabunt absque commissione Generalis Praepositi, vel

generali vel particulari; qui in aedificiis observabit primae Congregationis generalis decretum, et paratum habebit exemplar vel archetypum aedificii collegiorum.

Praeter praeceptores. Praeter Rectorem, item ministrum et alios, qui ad gubernationem collegii et integritatem sint adhibendi ex instituto.

Si redditus minores fuerint. Hinc colligi potest in collegiis, quae fuerint fundata iuxta rationem primi ordinis collegiorum qui est in formula P. N. Laynez, posse eleemosynas peti et recipi dona, ac etiam procurari ut dotatio eatenus augeatur, ut possint praeter praeceptores etc. ali duodecim nostri scholastici. Unde rursum apparet hunc intelligere Societatem esse infimum ordinem collegiorum, in quo possint duodecim scholastici sustentari, et Patrem Laynez moderatione usum fuisse iuxta sui temporis exigentiam, ubi ordines collegiorum distinxit.

Ad tempus. Nam id fieret praeter collegiorum institutum. Et illud quidem semper in animo habendum et curandum, ut dotetur collegium, nec sit eleemosyna petenda.

IN TERTIUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ad quorum institutionem collegia etc. Collegia nostra omnia eo spectant, ut possint in ipsis nostri scholastici litteris institui ad ministeria Societatis exercenda, sive collegia sint in quibus Societas pro-

fessores non det publicos, sive in quibus det. Neque vero damus lectores, nisi in eo collegio possit numerus idoneus nostrorum scholasticorum sustentari. Haec quum ita sint, praecipui tamen illi fructus obiter colliguntur ex omnium collegiorum ratione vel Universitatum, qui ex fine Societatis, et professorum ministeriis proprie petuntur.

Praeter Coadiutores. Spirituales et temporales; coadiutores enim primo loco designandi sunt ad ministeria collegiorum obeunda tum spiritualia tum temporalia. Neque enim professi sunt adhibendi, nisi quemadmodum id concedunt declarationes decimi capitis huius partis et secundi sextae partis. Caeterum numerus ministrorum definietur ex magnitudine collegii; sed ita tamen, ut in quovis collegio intelligatur necessarius esse, ut minimum, Rector, et eius minister, confessarii praeterea duo, et qui concionatoris munus obeat, tum quatuor coadiutores temporales.

Ad haec illi solum. Ex hoc et proxima § et ex septimo capite Examinis colligitur nullum esse scholasticum approbatum, nisi qui vota fecerit illa quatuor, quae dicuntur scholasticorum in quinta parte, tum duos annos (ut minimum) exegerit probationum, dein aliqua significatione externa pro scholastico receptus fuerit legitime.

Praeter hos. Aperte significatur, quod idem in Examine intelligi potuit, si aliqui ante biennium probationum ad studia admittuntur, id fieri extra ordinem, quum ratio instituti postulet, ut transigantur prius probationes, quam studiis dent operam nostri scholastici, nisi aliqua sit causa quae aliud facere cogat, vel satis videatur quis esse probatus, ut studiis permit-

tatur. Nam ita res habet, ordine si progrediendum est; qui recipiuntur, eos exuere vitia oportet, quae in saeculo contraxerunt, vitiorum etiam habitus necessum est extirpent pro virili in Christo, simul virtutes inserant cordi, et quidem ad proprietatem gratiae nostrae vocationis ac instituti accommodatas. Haec nisi pro dignitate fiant, fere accidet, ut insolentes evadant nostri scholastici atque arrogantes, infecti scilicet contagione studiorum, quae nisi cum spiritu humilitatis ac religionis sint coniuncta, non mediocriter eorum animos possunt suo fastu labefactare. Porro probatio legitima ad biennium (ut minimum) est constituta. Ordine igitur non censebitur aliquis probatus scholasticus, nisi biennium, ut dictum est, exegerit in probationibus, si quidem satis probatus in virtutibus eo tempore a Superiore censebitur. Adde quod nullus cogi potest ad vota illa quatuor ante biennium edenda. Quare si ante biennium studia alicui concedantur, vel erit is cogendus ad vota; vel sine votis si studeat, quum non sit obstrictus Societati pro sua voluntate, poterit ad finem biennii abire, et vocationem deserere, quod non esset leve detrimentum collegiorum. Quod si dicatur consuetudinem esse, vel P. Ignatii traditionem, ut nullus ante biennium mittatur ad collegia, nisi qui prius vota ediderit, recte; sed videatur ne ex ea consuetudine inconsulti subeant vota novitii, quo viam sibi faciant ad studia, vel alioqui ne videatur haec quaedam esse interpretativa coactio ad vota edenda. Nihil horum, dices; nullus enim ad vota cogitur; verum si sint qui sua voluntate voveant, non instigati nec eo spectantes, ut citius ad studia mittantur, spectato spiritus profectu novitii, de his Societas iudicat num

aliquos ante biennium ad studia mittat. Hoc quidem recte habet, sed confirmat illud tamen quod proponebatur, ordine si fiat, ante biennium non esse ad studia nostros applicandos; extra ordinem posse. Verum de his est editus postea canon in secunda Congregatione generali. Illud adde, quod in septimo capite Examinis est annotatum, esse liberum Superiori, ut sine votis non mittat ad studia novitios; quanto magis hoc poterat P. Ignatius et facere et statuere.

IN QUARTUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Immo magis. Si reliqua alioqui quae ad meritum faciunt sint paria, et extra maioris rei obligationem versetur quis.

Itaque praeter. Sermo hic fit de his qui Sacerdotes non sunt, nec obligantur ad horas canonicas recitandas. Nam Sacerdotes Missas celebrabunt frequentius quam octavo quoque die. Qualis autem haec sit futura frequentia maior, hoc praescribent regulae domesticae, vel consuetudo: ea vero est, et quidem constans et ubique recepta, ut quotidie celebrent omnes Sacerdotes, qui vero legitime impediti non celebrabunt, audiant Missam, ut alii solent. Quod autem ad orationem attinet, qui horas canonicas ex obligatione ecclesiastica recitant scholastici, necessum est, ut praeter illud tempus suas horas recitandi, quod minus esse non potest quam unius horae, duplex habeant examen. Prae-

terea negari his non potest aliquod tempus meditationis. Quare consuetudo esse videtur non temere introducta, ut hi suam etiam horam, ut alii scholastici, orationi dent, quo tempore Sacerdotes praeparationem ad celebrandum, et gratiarum actionem complectentur. Neque vero modicum hoc tempus videri debet unius horae necessario in studiis litterariis occupatis. Porro autem hoc loco non agitur de professis, non de coadiutoribus formatis, de quibus sextae partis capite tertio attingitur; non de novitiis, de quibus tertiae partis capite primo. Et de illis quidem nihil est certi praescriptum. Novitiis dedit prima Congregatio ad duas horas, et satis est compertum ex hoc capite longius esse dandum aliis tempus orationis, siquidem scholasticis propter occupationem studiorum contrahitur. Dedit facultatem postea secunda generalis Congregatio, ut posset Praepositus Generalis Franciscus tempus orationis augere; ipse vero addidit dimidiam horam, ut praeter examina detur orationi una hora, non dimidia, ut antea.

Et qui ea. Quod contingeret, ubi extra ordinem sine votis ad studia mitterentur ante biennium probationis absolutum, quod tamen constanter cavendum est. Observandum vero quod traditione accepimus a P. Ignatio, nullum esse ad studia mittendum, nisi qui vota emiserit.

Beatissimae Virginis. Propter pietatem insignem et devotionem P. Ignatii, et totius Societatis in Sacrosanctam Virginem Dei matrem, quae Societatis universum patrocinium suscepit singulare.

Si expleta non fuerit. Hinc colligi poterit, non esse duos quadrantes dandos solis examinibus; sed orationi dari partem illorum posse. Nam dimidia hora necessaria videtur horis Beatissimae Virginis.

IN QUINTUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Et quidem maiori cum diligentia. Quum tamen seria ac magna diligentia sit in alia omnia studia incumbendum.

Rector adhibita. Consultis praeceptoribus, qui iudicio in ea consultatione valeant. Coeterum universam studiorum rationem administrare ac dirigere non poterit Rector pro dignitate, praesertim si et theologica studia tractentur in collegio et philosophica, in quibus studiis maius iudicium desideratur, quam coadiutorum spiritualium, e quibus assumendus est Rector. In his igitur studiis gravioribus poterit extra ordinem praescribi Rectori, ne suo iudicio aliquid statuat, sed sequatur potius peritorum iudicia maturiora; vel omnino est curandum ut huiusmodi collegiis praeficiatur superintendens professus, qui de omnibus studiis iudicare possit.

Cuius rei penes Rectorem. Adhibita moderatione superioris annotationis.

IN SEXTUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Nihil gratius. Intellige ut superius quarto capite.

Vel sine ordine debito. Qui traditur primo capite Examinis.

Differri. Omisit hoc loco interpres vetus, incertum est quo casu, haec verba. Quandoquidem alii non deerunt interim qui in illis exercitiis versentur, quae sunt in authographo. Hoc tamen non ita est intelligendum, ut quoties alii desint, occupari nostri scholastici debeant in illis ministeriis cum studiorum detrimento; sed magis illud significatur, ut det operam Generalis Praepositus, ne illi desint omnino, neque studia nostri cogantur remittere vel etiam intermittere propter illas occupationes; quod nisi curetur, et quidem diligenter, fiet ut fere nunquam nostri litteris dent operam pro dignitate.

Antequam positive studiis. Providenter est constitutum, ne absque methodo theologica proprio iudicio colligere quivis possit pro veritate theologica quicquid libuerit, et errores sibi fortassis, quasi ex doctoribus, compingat.

Vel eodem tempore. Quod est utilius, et iam usu in scholis Societatis confirmatum; et praestaret quidem ut tiro Theologiae saltem primo anno solam audiret scholasticen; secundo, tertio et quarto anno adderet sacrarum litterum auditionem.

Scriptae vel versae. Hae sunt hebraica et graeca, quibus addi potest chaldaica, non solum propter Danielem prophetam et Esdram, sed etiam quod constet Pentateuchum versum antiquitus chaldaice, et eam esse versionem apud Hebreos firmae auctoritatis, nobis vero utilem ad illos oppugnandos. His etiam potest arabica addi, quam etiam praelegi iussit Pius quartus Romae in nostro collegio.

Prius aut posterius. Viderat exempla P. Ignatius, quod Lutetiae plerique (et in Germania audierat plu-

res) per studia litterarum graecarum absque Theologia evanescebant et ad novitates fidei abducebantur. Hoc igitur periculum voluit in nostris caveri. Verum experientia comperimus illud nihil nocere nostris. Quare non fuit fere usus huius cautionis, quam tamen est operae pretium habere paratam.

Ab Ecclesia approbatam. Ea est vetus et vulgata editio latina, quae longo tot sacculorum usu in Ecclesia ipsa probata est in publicis lectionibus, praedicationibus, et expositionibus. Haec vero est, quam pro authentica haberi statuit Concilium Tridentinum sessione quarta.

Sive de Societate. Hi si e nostris fuerint, non modo optandum est, ut sint docti, diligentes etc. sed id curandum est et efficiendum; in externis vero, si nihil possimus aliud, certe exoptandum illud est, et orandum, tum etiam curandum commode. Denique erit deligendus e pluribus qui doctrina et diligentia etc. antecellat.

Bibliotheca communis. Praeter hanc erit necessum ut sint expositi omnibus libri, quos dicimus communes, ut lexica, commentaria necessaria, et qui ad compositionem rethoribus vel ad colligenda argumenta philosophis et theologis, vel ad concionandum utiles esse videbuntur. Nam in bibliotheca necessum erit multos libros haberi, qui non absque iudicio Superioris a quovis legi possint, et ideo clausam eam esse sub bibliothecario. In communibus libris nullus exponetur, nisi qui a quovis legi libere possit, et erit accuratus horum librorum delectus habendus.

Qui necessarii. Non est hoc tam concise intelligendum ut omnino libri utiles, et qui necessarii non

sint, excludi videantur; sed qui non erunt necessarii, eos esse maturo consilio scholasticis concedendos, saltem quoad sunt auditores.

Rector autem Collegii etc. Hoc faciet nonnunquam etiam per se, plerumque tamen per studiorum praefectum, a quo ad Rectorem referatur.

Intersint. Non ut audiant solum, sed ut disputent etiam.

Modeste tamen. Cavendum tamen est, ubi modestia adhibetur et humilitas ad disputationem, ne non serio disputetur ac vivaciter; veritas enim ex obedientia inquirenda nobis est in disputationibus. Possunt autem et debent simul constare virtutes omnes; neque fieri potest ut una pugnet cum alia. Quocirca quo difficile magis videtur modeste simul et ferventer disputare, eo necessarium magis, nostros in disputationibus esse circumspectos.

Vel aliquo alio die. Non incommode hoc additum est. Nam fiet fere, ut die dominico commodum non sit disputare propter spirituales occupationes. Et usus quidem iam obtinet in nostris collegiis, ut hae disputationes habeantur diebus sabbatinis, quae est Academiarum generalium consuetudo.

A prandio. Illud exponitur quod frequentius fiet. Non enim erit huic expositioni contrarium, si antemeridianis horis simul et pomeridianis aliquando disputetur, ut si singulis mensibus id fiat; quod e voluntate Superiorum poterunt statuere Rectores.

Causa peculiari. Non vulgari, sed iudicio Rectoris necessaria, vel certe non dissimulanda. Refertur enim hoc ad dimittendas hebdomadarias disputationes, ut constat plane ex hispaniensi exemplari.

Confirmatis. Experientia compertum est, hoc facile observari non posse propter temporis angustiam. Sat igitur esto, si breviter declarentur loca praecipua positionum, atque adeo, si res vel tempus non patiatur, poterunt ex dispensatione etiam hae declarationes praetermitti, quod fere obtinuit iam consuetudo in sabbatinis, et annuis disputationibus. Debebit tamen usurpari in iis disputationibus, quae ad promotionem insignium scholasticorum spectant.

Cuicumque libuerit. Adhibebitur tamen, quod facile intelligitur, ordo disputaturis, et primus quidem locus dandus videtur externo, subsequenter alternis nostris. Hunc ordinem praescribet praefectus studiorum de consilio praeceptorum ex Superioris voluntate.

Disputetur. Haec disputatio ita instituitur, ut in quibus difficultatem sentiunt auditores, ea primum proponant praeceptori exponenda; deinde praeceptor, ut interroget quae libeat; tum si qui velint argumentari, ut condiscipuli respondeant: ubi vero nihil occurreret vel proponendum vel interrogandum, ibi inter se more solito poterunt disputare auditores.

Dominicis vel aliis. Est iam consuetudo recepta, ut haec exercitia fiant diebus Sabbati a prandio, et ut orationes (de quibus proxima § traditur) habeantur diebus dominicis.

Legantur. Non enim erit necessarium, ut memoriter recitentur; utile tamen id esset, si commode fieri posset.

Communiter. Idest ut plurimum, et in scholis quidem semper est latine agendum, tum etiam in collegio, nisi quod est ratio habenda vulgaris etiam orationis, praesertim ubi novum est idioma addiscendum. Nam vulgati sermonis elegantia ac nitor a nobis negligendus non est, ut qui non mediocriter iuvet ad verbi mini-

sterium, tum in concionibus et lectionibus ecclesiasticis, tum in privatis colloquiis, quae praecipua est Societatis occupatio. Est simul respiciendum, ne grave nimium fiat, si omnibus recreationibus sit cum observatione quasi anxie vel timide loquendum, vel non tam libere, praesertim si qui in lingua latina non sunt exercitati. Porro sub humanioribus (ut superiori capite est declaratum) intelligitur grammatica, et rethorica. Et tamen non similiter exigendum est ab omnibus grammaticis, ut latine loquantur, sed a provectioribus, ut plane loquantur; ab aliis ut conentur, et assuescant pro facultate.

Singulis hebdomadis. Ubi scilicet commode id praestari poterit pro multitudine scholasticorum atque eruditione.

Die aliquo designato. Usus est iam receptus, ut is sit dies dominicus.

Latinam, aut graecam. Et frequentius quidem latinam, nam erunt fere pauciores, qui graece intelligant, et usus quidem habet in collegiis, ut plena oratio latina habeatur; carmina etiam latina recitentur; utrumque graece breviter fiat; et memoriter quidem ut et memoria et actio exerceri possit.

Privatum studium. Praeter ea exercitia, quae hactenus exposita sunt, audiendi, repetendi, annotandi, disputandi, componendi, loquendi, declamandi, quae publice fiunt, est privatim item opera danda studiis ad firmiorem et maiorem rerum intelligentiam comparandam, iudicium adhibendum, memoriam confirmandam etc.

Cui syndici etc. Haec erit cura danda studiorum praefecto, de cuius officio editae sunt regulae, et usurpatae in collegiis, qui vel per se eam exercebit, vel

aliquando etiam per substitutos, ut in amplis collegiis.

Quomodo scholastici. Et non hi solum, sed praeceptores etiam.

Magis proficiat. Haec comparatio, quae alioqui impropria videri posset, facit ut hi etiam e collegiis dimitti possint qui tenuem faciunt fructum, non solum qui nullum.

Absoluto studio. Postquam in scholis artium liberalium et Philosophiae primum, dein Theologiae legitimum tempus exegerint nostri, haec locum habebunt, et tempus definietur suum in singulis facultatibus a Rectore iis, qui ad gradus fortassis promovendi non erunt. Promovendis praescribunt Constitutiones decimoquinto capite huius partis. Neque videtur tamen praetermittendum, quin, post partes primarias illarum facultatum, aliquot dies ad arbitrium Rectoris, re cum consultoribus communicata, assignentur, quibus diebus in classe fiant repetitiones.

Brevius. Continget quidem brevius fieri, sed necessum non est. Brevior quidem semper habebitur, si compendio fiet erudito magis, ac magis elaborato.

Penes Superiorem. Rectorem ex voluntate Praepositi Provincialis.

IN SEPTIMUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Non solum profectus. Quo profectu contenti sumus in collegiis, ubi Societas alit suos, ut audiant publicas lectiones, nec aliquam suscipit obligationem alios docendi.

Sed etiam profectus. Quam curam suscipere solet Societas in iis duntaxat collegiis, ubi ex ratione fundationis eam suscipere debet, sive ab aliis conditionem acceperit, sive ipsa sibi imposuerit iuxta variam rationem suscipiendi obligationes; qua de re dictum in annotatione in secundum caput huius partis Declarationum.

Ubi commode id fieri poterit. Si quidem ex ratione fundationis id debeat Societas, non tantum fieri poterit, sed debebit. Sin nulla esset obligatio, possent tamen in illis etiam collegiis, quae pro nostris scholasticis alendis fundata sunt, aperiri scholae, ubi abundaret professoribus Societas, et collegia redditibus, nec timeretur consuetudine docendi induci posse tacitam aliquam obligationem vel exactionem dandi professores perpetuo; et huc fortassis spectat hic locus.

Saltem in disciplinis humanioribus. Hoc propterea dicitur, quod collegia cum hac obligatione facilius fundantur.

Pro spiritualibus ministeriis. Ac ne pro aliis quidem ullis, quae a nobis iuxta nostri instituti rationem praestantur.

Per quam. Si pro nullo ministerio Societatis nec stipendium accipere possumus, nec eleemosynam, dubitari non potest, quin nec dotationem collegii recipere pro ministeriis professorum Theologiae, concionatorum, confessariorum possimus; sed nominatim de his statuitur, quod ad haec ministeria, quae propria sunt professae Societatis, in fundatione nulla possit obligatio suscipi, quae quidem ad dotationem vel fundatorem referatur; ea tamen in aliis lectoribus praestandis utcunque potest; qua de re actum est in declaratione

secundi capitis huius partis, et quidem ex ratione phraseos huius.

Non convenit ullam dotationem collegii admittere per quam etc. Constat eam obligationem prohiberi, quae ex vi dotationis contrahatur, non eam quam suis, et collegiis, ac etiam Provinciae Societas praescribere potest, quae nec ad dotationem, nec ad fundatorem referatur.

IN OCTAVUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Sub ipsorum finem. Non ita intellige, ut quo tempore audiunt in scholis nostri, vel versantur postea in suis repetitionibus, et sua compendia adornant, vel omnino vacant suis publicis disputationibus ad insignia graduum accipienda, eo tempore ad arma spiritualia assuescant, hoc est vacent ministeriis Societatis professae propriis; nisi obiter, et absque suorum studiorum dispendio id fiat ex Superioris iudicio. Nam illud est tempus, ubi finis studiis scholasticis est imponendus, occupatissimum. Quando igitur occupatio haec finem e Rectoris iudicio acceperit, consulto Provinciali, tunc ad arma spiritualia nostri assuescant, et quae didicerunt faciant meditatione et oratione practice spiritualia, atque ad animarum salutem et perfectionem promovendam conferant legitimis Societatis ministeriis: et hi quidem collegia ornabunt non mediocriter, atque non studiorum solum scholasticorum fructus desideratus referetur e collegiis, sed magnus

etiam ex ministeriis professae Societatis. Coeterum quandiu hac ratione exerceri hi possint vel debeant in collegiis, hoc erit iudicium Generalis Praepositi, vel etiam Provincialis ex commissione.

Congruum erit. Est debiti officii congruitas.

Quantum fieri potest. Est hac de re in Congregatione prima generali constitutum. Debent igitur Provinciales habere exploratum eum modum ceremoniarum, qui in templo nostro Romano observatur; et si quid plus minusve videatur pro regionum varietate agendum, id mutare poterunt, consulto prius Praeposito Generali, saltem Provinciali. Postea vero quam editum est a Pio V missale, ad illius normam se debent omnes accommodare.

Qui a scholastico diversus est. In scholis enim veritas, ea etiam quae ad praxim spectat, speculative inquiritur et tractatur; contra vero post studia scholastica, non practicae solum veritates, sed speculativae etiam ad praxim conferuntur, spiritu afficiuntur, unguntur gratia nostrae vocationis, informantur pietate, devotione imbuuntur, forti ac suavi industria spiritualiter exercentur, movere debent pios ac vere christianos affectus, sensus etiam spirituales ac virtutes ingenerare; breviter divina virtute ad proximorum salutem ac perfectionem fieri debent efficaces in Christo Iesu.

Addiscere. Num in vulgari alio idiomate addiscendo sit opera insumenda, id statuet Rector ex sententia Provincialis, neque enim illud erit perpetuum; hoc erit, ut quo idiomate fuerit ad populum agendum, illud nostri curent diligentius ornandum, non anxie quidem et affectate, sed casta quadam atque ecclesiastica eloquentia.

Dent operam. Seriam quidem et accuratam.

Omnes. Qui professi sunt futuri, in ministeriis omnibus Societatis professae exercebuntur; qui coadiutores spirituales, in his quae coadiutorum sunt propria, in quibus est ministerium dandi exercitia spiritualia. Ita fiet, praeterquam quod illis proderit haec rerum vicissitudo, ad mortificationem et obedientiae exercitium; ut exploretur eorum ingenium et facultas tum naturalis tum spiritualis, quae ex gratia constat; qua in re quis valeat; in quo ministerio fructum polliceatur, unde constet Superioribus quorsum quis sit applicandus magis.

Percipiantur. Practice intellige, hoc est ex praxeos etiam exercitio.

Sola unctio Sancti Spiritus. Non intelligimus ea, quae ex nobis necessario requiruntur ad recipiendam huius unctionis prudentiam, excludi; non illa quae ad cooperandum exiguntur; sed solam illam esse unctionem dicimus, quod haec omnia perfectionem ab illa accipere debent, quamvis ex communi divinitatis operatione ac concursu alioqui suum momentum habere possint et efficaciam.

Confidunt. Qui illam amant, qui illi serviunt.

IN NONUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Propter causas in secunda parte. Propter quas non e collegio solum, sed etiam e Societate eiiciuntur; tametsi proportione quadam ex illis causis colligi

possint suae etiam causae, quare e collegiis tantum, non etiam e Societate, dimitti possint. Quod si a Societate etiam ex collegiis dimittendus aliquis videretur, nisi res adeo urgeret, ut nihil posset differri dimissio, antequam quis dimitteretur, esset in domo probationis exercendus vel sustinendus tantisper, donec prorsus constaret, non esse amplius expectandum.

Eadem siquidem. Etsi in secunda parte Constitutionum de universa ratione dimissionis agitur, atque non e domibus tantum probationis et collegiis, sed a professis etiam domibus dimitti possunt professi, coadiutores, scholastici, novitii; tamen tractatio videtur illa attinere ad domos probationis et ad novitios, qui facillime omnium dimittuntur. De his domibus hoc loco intelligitur, praesertim ubi scholastici adhuc censentur novitii, alioqui varii illi gradus dimittendi essent observandi, qui in primo capite secundae partis Declarationum traduntur; vel omnino intelligitur eadem ratio, similitudine et proportione sua, in collegiis esse observanda: simul illud animadvertendum quod statuitur in secundo cap. secundae partis Declarationum et quod in 6. cap. quartae partis Declarationum fuit superius annotatum.

Et quatuor annis studio theologiae impensis. In scholis scilicet publicas praelectiones audiendo, quod dubium esse non potest. Neque enim audient nostri publicas artium enarrationes in collegiis, et Theologiae non audient; quum hic tamen sit scopus, haec summa nostrorum studiorum, si in Sacra Theologia simus instituti, et illis studiis vacare debeamus diligentius quae ad finem Societatis magis conveniunt, ut superius 5. cap. est constitutum, et inferius 12. cap.

Denique, ubi agitur de Academiis, quatuor annorum praelectionibus metitur Societas studia Theologiae Scholasticae. Coeterum huic tempori illud erit tempus adiiciendum, quando vel repetent sua studia nostri, vel compendia concinnabunt, vel disputationibus incumbent ad insignia graduum accipienda, vel in collegiis ad ministeria Societatis professae pro dignitate obeunda instituentur. Ante haec tempora extra ordinem fiet, si e collegiis educantur nostri.

IN DECIMUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Dissolutionem, vel alienationem. Quemadmodum haec vocabula intelligi debeant, in 2. cap. huius partis Constitutionum annotatum est.

Aliquem e coadiutoribus. Spiritualibus intellige. Etenim selecti spirituales coadiutores idonei satis esse poterunt, praesertim professi trium votorum, atque adeo hi primo loco, qui nostra collegia gubernent; neque e professis quatuor votorum quemque sumi erit necessum hoc nomine, ut Rector sit; quandoquidem ab his professis res temporales immediate tractandae non sunt, quas tamen necessum erit a Rectoribus immediate tractari. Num vero alio nomine gubernare collegia possint professi, de hoc in huius loci declaratione annotabitur, Christo propitio, et superius dictum est.

Constituet. Spectabit tamen confirmatio ad Generalem Praepositum, ubi id fiet per alium. Itaque electio

primo quoque tempore ad Generalem referetur, quae censebitur legitima, ubi a Generali fuerit confirmata, et interea erit utilius si non habeat Rectoris, sed tantum Vice-Rectoris nomen.

Et penes eundem erit. Praepositum Generalem scilicet; neque id poterit Provincialis, nisi consulto Generali vel ex eius commissione. Nam si quid accideret Rectori, quod tam vehementer urgeret, ut expectari non posset commode responsum a Generali, interea posset a Provinciali usus officii Rectoris interdici, non etiam rectoratus abrogari. Sed num utile sit futurum collegio, ut diutius quarto triennio in suo ministerio conservetur Rector, id iudicabit Generalis, admonebitur etiam a Provincialibus. Porro quandoquidem varie accidet, ut propter necessitatem, sive etiam utilitatem, nunc quidem conveniat ante biennium mutari Rectorem, nunc vero ultra triennium retineri, ideo nullum certum tempus praescriptum est.

Curandum est autem, et diligenter quidem, et efficaciter.

Qui etiam in litteris eruditus sit. Si non aliis, iis saltem quae desiderari possunt ad gubernanda ea studia, quae in collegio tractantur; et tamen non sine aliqua eruditione esse deberet Rector, unde mediocriter respondere de rebus theologicis posset, et esse alioqui deberet in collegio doctus theologus aliquis.

Quo haec potestas maior erit. Hinc collige, omni studio esse et diligentia curandum, ut viri sint ornatissimi virtutibus Rectores, unde plene illis commissiones dari possint; tamen quo minus habebit quis facultatis ad illud munus obeundum, eo pauciora illi et maiori circumspectione erunt committenda.

Eos qui officia gerant. Non collateralem, non consultores, quod in confesso est, neque etiam lectores superiorum classium; non ministrum, vel confessarium, absque facultate vel commissione Provincialis, vel constituet vel mutabit Rector, quod consuetudo Societatis obtinet.

De quibus oportet. Haec quaenam sint, intelliget Rector ex instructione Generalis Praepositi, tum etiam Provincialis, qui, ex rerum notitia particulari, et exigentia, aliqua poterit addere. Humilitas praeterea et prudentia Rectoris ex re nata aliquando his alia adiiciet.

Quae maioris erunt momenti. Quaenam haec sint futura, collige ex proxima annotatione.

Demonstrando. Vel etiam habendo.

Ad bonum domus, idest ad domesticam collegii gubernationem recte ac ordine gerendam. De inferioribus administris hic agitur, quos sua mente et iudicio deliget et mutabit Rector.

Suas regulas. Quas accipiet a Provinciali. Eae erunt a Generali Praeposito profectae, nisi si quam ex commissione Generalis addiderit Provincialis, vel Commissarius, quam tunc erit confirmaturus Generalis.

Et ne se hic. Non absque re nominatim de hac regula fit mentio, quae tamen inter communes habetur. Nam haec una est regula, qua continentur in officio ministri omnes, et quasi diversa membra in unum corpus coeunt per unitatem obedientiae in Christo.

Qui Vice-Rector, vel Magister domus sit. Qui re ipsa est et vocatur minister, Vice-Rector vel magister domus non solet appellari. Vice-Rectoris enim nomen non damus ministro, nisi quando, absente Rectore vel

suo officio non fungente, minister eius vicem gerit, tunc enim minister, et est, et vocatur Vice-Rector; magistrum domus nullum hactenus vocavimus. Et tamen usus obtinuit, ubi praefecti haereticorum vocantur ministri, vocentur Vice-Rectores ad nominis infamiam evitandam.

Quae ad bonum universale. Particularia quidem curat minister, quae tamen ad bonum universale collegii spectant ac diriguntur, si non ab ipso, qua huiusmodi, certe quidem a Rectore, qui locum tenet architecti in gubernatione collegii, minister vero operarii, qui tamen inferiores omnes operarios moveat et gubernet.

Syndico etiam. Est syndicus latine advocatus, qui ad communem causam defendendam mittitur. Hoc tamen loco is, ad quem spectat exteriorem omnem conversationem observare ex officio, ac de his ad Superiorem referre. Hic esse quidem potest publicus, utilius tamen fit secretus.

Cui rerum spiritualium. Hic erit fere confessarius, vel orationis superintendens, qua de re annotatum in primo cap. tertiae partis Constitutionum.

Ut cum eis. Hi erunt consultores, qui praeterquam quod iuvabunt consilio Rectorem, statutis etiam temporibus de rebus collegii ac Rectoris reddent certiorem Provincialem Praepositum, tum etiam Generalem.

Ut in suo officio cuique. Hunc locum intelliges ex his, quae statuuntur 4. cap. Examinis, et ex sequenti annotatione.

Prout idem praescripserit. Particularem usum subordinationis et obedientiae inter officiales, et aliorum ad ipsos, qualiter inter se gerere se debeant of-

ficiales, quomodo alii sub aliis pendere, a quibus mediate, a quibus immediate, quibus in rebus privati ab officialibus, et quo pacto pendeant, quemadmodum ab uno vel possint vel debeant officiali ad alium accurrere; denique providenter et circumspecte omnem usum unitatis et unionis obedientiae docebit ac praescribet Rector, instructus tamen ex Generalis Praepositi disciplina, et praesentis Provincialis directione.

Vel eum qui primas tenebit. Est hispanice *eum qui praesidebit,* quo significatur fore, ut in aliquibus collegiis Rector non sit supremus, quod haud dubie erit necessarium, quando in collegiis graviora studia tractabuntur, quam quae possit gubernare coadiutor spiritualis. Hunc Rectore superiorem solemus hactenus appellare Superintendentem; de quo est decretum quoddam secundae Congregationis.

Vel aliarum causarum. Hae erunt causae extraordinariae (ut in autographo legimus) quod omisit interpres, vel forsan typographus. Quocirca rarissimas esse oportet rationes, propter quas consuetam horam mutet Rector: sed statae hae erunt horae, nisi e varietate horologii et supputationis temporum sint immutandae.

Rector ipse. Haec obligatio Rectori adiungitur hoc loco, qua Rector. Nam ea alioqui, ut coadiutor, tenetur; eadem professi tenentur, et plenius quidem, tametsi in Constitutiones relata non est; reperimus tamen illam in commentariis P. Ignatii descriptam, ex qua intelligimus professos primo anno postquam sua vota emiserint diebus quadraginta enarrare publice debere doctrinam christianam; postea vero quoties id praescribet Superior. Idem de coadiutoribus formatis spi-

ritualibus colligere possumus, siquidem in suorum votorum editione docere doctrinam christianam promittunt similiter atque professi. Verum hac de re rursum quinta parte vel etiam sexta agetur. Tantum hoc loco illud est expoñendum,. primo anno, postquam sunt Rectores designati, hanc operam eos debere in hoc ministerio collocare. De docenda doctrina extat decretum in prima et secunda Congregatione generali.

Praecipue. Nam extra ordinem instituti collegiorum fiet, ut scholastici his ministeriis dedantur, antequam studia et occupationes scholasticas (ut superius annotavimus) absolverint, praesertim si cum detrimento suorum studiorum illis ministeriis sint operam daturi; non deerunt autem collegio, qui ex instituto illa officia obeant. Neque enim collegia habebuntur absque concionatore et confessariis, et erunt in collegiis qui post studia exerceantur in illis ministeriis.

IN UNDECIMUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ut aliis in locis. Si aliis in locis, non dubium quin in eadem Academia idem possint; propterea id non fuit necessum exprimere.

Quibus tamen conditionibus. Hinc compertum est, recipere Societatem posse Universitatum fundationem cum conditione aliqua et obligatione, quemadmodum collegiorum fundationem cum obligatione potest accipere, quod 2. cap. Declarationum huius partis expo-

nitur. Utrobique tamen de suppeditandis professoribus intelliguntur obligationes. Quae vero ratio sit in hac re observanda, ut sinceritas nobis nostrae paupertatis constet, annotatum est in 2. cap. Declarationum huius partis.

Qui supremam curam. Hic etiam subserviet secunda annotatio in 2. cap. huius partis.

Vel per alios a se dependentes. Provide consultum est Societati, et utiliter in primis, ut iurisdictionem non habeat vel per se, vel per delegatos iudices, quos dicimus hoc loco dependentes, in scholasticos externos; illud tamen esset curandum, ut e iurisdictione secularis potestatis eximantur; deinde ut Episcopus vel eius Vicarius non haberet potestatem ordinario iure in ipsos, sed quemadmodum in aliis Universitatibus ab horum iurisdictione scholastici eximuntur (delegatur illis iudex proprius) ita in nostros auditores iudex non esset Rector, vel alius quispiam; sed Episcopus ipse, vel eius Vicarius, apostolica auctoritate, hanc haberet iurisdictionem iuxta privilegia Academiae exercendam. Verum etiamsi a Summo Pontifice eam auctoritatem obtineret Episcopus, nullam a nobis, esset tamen curandum, ut Summus Pontifex in diplomate gravissimis verbis Episcopo commendaret, ut Societatem et eius Universitatem omni favore prosequeretur; simul statueret, ut gubernatorem Episcopus haberet, qui iudicaret scholasticorum causas; hunc vero ut praesentaret Episcopo confirmandum Rector noster vel Provincialis, consulto Generali, et pro suo arbitrio deponeret. Ita evaderet utcumque evidens ratio, quam haec constitutio insinuat, quod conveniat scil. iustitiae ordinariae etc. Alios Universitatis officiales etiam externos

dubium non est quin debeat simpliciter Rector creare et deponere pro arbitrio.

Secularis sive ecclesiasticae. Rationi est consentaneum ut auditores nostri non subsint iudici seculari; habent enim aliae Universitates hoc privilegium omnes, quae tamen a secularibus hominibus gubernantur; cur non nostrae potius, quarum curam gerunt homines religiosi? fiunt certe quodam pacto ecclesiastici, atque adeo religiosi qui se in disciplinam nostram tradunt; multae enim sunt institutiones nostrorum scholasticorum, quae ad ecclesiasticos et religiosos mores spectant: quid igitur mirum, quid alienum, si, qui his institutis obstricti vivunt scholastici, ecclesiasticis privilegiis fruantur? Pariet tandem illam utilitatem haec gratia, ut plures ad nostras scholas accedant et in spiritu christianae pietatis iuventur, qui et nostrorum studiorum et omnium ministeriorum est finis. Est igitur summo studio contendendum, ut ecclesiastici iuris sint nostrarum Universitatum scholastici, nec prius seculares iudices accipiendi, quam, omni industria et labore consumpto, illud assequi privilegium nulla ratione possimus.

IN DUODECIMUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

V. *Maxime proprium* — N. *magis.* Non dubium est quin Theologiae facultas, quae in scholis comparatur, maximum sit adminiculum ad finem Societatis consequendum. Sed hispanice tamen comparatio hoc

loco ita videtur fieri, quasi haec facultas aliis mediis anteponatur, quod libenter quidem recipimus; et colligimus propterea ita pronuntiari, quod Theologiae facultas ac studium debeat semper cum spiritu et omnibus virtutibus coniungi, hoc est simul tractanda sit Theologia et scholastice, et mystice: inde enim extabit excellens huius facultatis fructus, dignitas et praesidium, et quod aliis praesidiis vel mediis omnibus necessario anteponatur.

Ex positiva. Quam intelligamus positivam Theologiam, collige ex declaratione super 14 cap. et super 5 huius partis.

Eam partem canonum. Ac ne aliam quidem, quae aliorsum pertinet, hactenus docuit Societas, nisi qua Theologiae est pars, ut de usura, de simonia, de excommunicatione etc. tractant nostri professores ex libris Theologiae, adhibita canonum citatione; sed non prohibetur tamen quin eam partem docere possimus, quod hactenus factum non est; si tamen fieret, ita esset docendum, ut nihil eorum, quae ad forum contentiosum attinent, miscerentur.

Magis remotum. Remotum quidem est a nostro instituto studium iuris canonici, seu eius partis quae ad forum contentiosum pertinet, magis vero est remotum medicinae et iuris civilis studium; illud profiteri non possumus in nostris scholis per nostros professores, multo minus hoc.

IN DECIMUMTERTIUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Omnes tamen in eo conveniant. Quoad eius fieri poterit, omnes Universitates nostrae regulis communibus eisdem et eadem studiorum ratione utantur. Simul erit Provincialium observare, si quid peculiariter videatur accommodandum pro varietate regionum; sed nihil tamen erit novi designandum vel addendum communibus regulis, nisi ex commissione Generalis Praepositi id fieri possit legitime.

Pro captu et numero. Res proponitur in universum et quasi ex arte, quae tamen, quod ad particularia attinet, ex statutis singularum Universitatum exponetur; ne quis ex hoc loco vel intelligere vel exigere possit pro numero vel captu auditorum esse identidem addendos novos professores.

Non solum cum condiscipulis. Hoc et alia quae hoc capite et aliis adduntur, propter illa quae statuta sunt, ubi de collegiis agebatur, usurpari in Universitatibus debent proportione, pro magnitudine scil. Academiae, et eius studiis; idem intelligatur semel esse dictum de aliis statutis, quae ex Universitatibus possunt ad collegia accommodari. Id vero quod hoc loco dicimus, solemus in disputationibus menstruis facere, ad quas professores artium cum suis auditoribus convenire solent, similiter theologi omnes convenire, ut grammatici primae classis et humanistae disputare solent invicem de re grammatica.

Modestia. Modeste quidem est disputandum, sed vere tamen ac vivaciter, ut est superius annotatum.

Qui contentionem. Nec hoc solum sui muneris esse patet, sed disputationem dirigere, continere in officio disserentes, breviter in rebus omnibus praesidere. Hoc praestare poterunt Professores ipsi, quando sunt singulares; quando vero plures ad disputationem conveniunt, necessum erit esse praesentem praefectum studiorum sive Cancellarium, vel quem Rector huic substituet.

Per se vel: per se quidem vel per Cancellarium obtenebit haec Rector; conficiet vero alteruter per idoneos e nostris, qua de re agitur in regulis praefecti studiorum.

Et eius discretioni. Rectoris scilicet, pendebunt enim omnia tandem ex eius auctoritate.

IN DECIMUMQUARTUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Hi tamen particulatim. Non tantum, qui sunt praelegendi designabuntur, sed simul catalogus edetur non solum eos libros continens, qui passim omnibus interdicuntur, sed eos quos iudicabit Societas iuxta Sacros Canones et theologorum sententiam esse interdicendos, sive de haeresi sint vocati, sive de suspicione haereseos, vel auctores vel libri, sive impuri sint libri, et qui ad vitia mentes scholasticorum sollicitare posse videantur.

Vetus et novum testamentum. Selecta scil. ex novo et veteri testamento. Ut si ex veteri prima capita

Geneseos, Deut., Psal. praelegerentur, praeterea Esaiae aliquot capita, principium et finis Ezech. et aliquis alius propheta, Ecclesiastes, Canticum Canticorum; ex novo Evangelium Matthaei, Luc., Io., aliquot Pauli epistolae, et ex Canonicis aliquae, tum Apocalypsis. Breviter ex novo et veteri testamento illa enarrabuntur, quae enarranda censebit Societas ex praescripto.

Doctrina scholastica. Intelligimus Summam Theologiae, cui si quodlibetum eiusdem Doctoris coniunxerimus, rem faceremus utilem Theologiae studiis.

Eligentur ii auctores. Hactenus praeter Sacras Litteras et Summam D. Thomae, fere nihil aliud, quam controversias adversus haereticos attigimus, et casus conscientiae, dictantibus fere nostris professoribus.

Quoad eius fieri poterit. Non eo spectat haec phrasis, quod velimus viam patere ad huiusmodi auctores praelegendos; sed vitandos illos dicimus, et ablegandos a nostris scholis, quoad fieri poterit; poterit vero omnino, et debebit.

N. *Sequenda est* — V. *Profiteri oportebit.* Exponere quidem et sequi quae in eo auctore a catholica fide et Sanctorum doctrina non discedunt; quae vero discedunt, iuxta canonem Concilii Lateranensis sub Leone decimo ea refellere ac reiicere oportebit. Quo fit ut vetus versio potius sequenda videatur quam nova.

IN DECIMUMQUINTUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Rectoris vel Cancellarii. Subordinata tamen auctoritate Cancellarii ad Rectorem.

Minus quam trium annorum. Hinc colligere licet brevius tempus quam triennii prohiberi; non reiici longius, tametsi insinuetur satis esse triennium. Esset igitur integrum Generali sex menses addere ad triennium, quae est consuetudo Complutensis Academiae. Itaque studia artium et Philosophiae definerentur quadriennio; quod videri non poterit prolixum, si quis animadvertat multitudinem facultatum, quae enarrari illo quadriennio debent et exerceri, universam scil. dialecticen, physicen, metaphysicen, mathematicen et ethicen.

Et gradum magisterii. Non propterea gradus alios baccalaureatus et licentiarum abiicimus, sed in magisterio illos intelligimus gradus, qui ante magisterium suo tempore et ordine conferuntur.

Erit trium annorum cum dimidio. Ut minimum intelligemus, si superiorem teneamus expositionem.

Actus soliti ad gradum. Hae sunt publicae disputationes, quales habentur Lutetiae et Compluti in Theologia, quatuor principia tentativa, magna et parva ordinaria Sorbonica et quodlibetum.

Examinatus. Examinatio haec in Theologia transigitur in disputationibus publicis, de quibus nunc dictum est: verum ad baccalaureatum artium adhiberi solet examen duntaxat; ad artium licentiam magnae responsiones coniunguntur examini; in Theologia non est usitatum examen, posset tamen adiungi, ut hic locus admonere videtur.

Nulla locorum differentia. Non poterit fortassis expeditius haec differentia evitari, quam si sortibus permittatur, quis, quo loco sit disputaturus, et deinde gradus simul omnibus conferatur absque delectu vel

ordine congregatis, vel omnino sortibus etiam committatur, quis, quo loco sit promovendus. Quod si ita non fiat, pronuncietur tamen nihil habere praerogativae, nihil maioris dignitatis, si quis utrumque alium praecedat.

Iuxta nostrum institutum. Non quod aliis velimus non esse ex instituto idem praemium, sed proprietatem nostri instituti hoc pacto volumus explicatam, quod pro nostris ministeriis nihil quoquo pacto recipiamus, etiam si alioqui aliis id liceat.

IN DECIMUMSEXTUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

In Collegio. Idest in Universitate. Nam est in collegio, de quo hic agitur, Universitas.

Si fieri potest. Et curandum quidem est impense ut possit. Curabitur vero ut omnes sciant, si pueris infimae classis simplicissime exponatur doctrina christiana ab uno: paulo explicatius ab alio, auditoribus quartae, tertiae, et secundae: rethoricis porro, ac liberalium artium studiosis cum maiore etiam eruditione. Serio autem curent praeceptores, ut omnes illam memoriter teneant, ita fiet ut fidei rudimenta suis incrementis adolescant in nostris auditoribus. Theologis nihil erit quod seposite enarretur doctrina christiana, hi enim ex professo in consummatione doctrinae christianae toti incumbunt.

Declamatio. Graeca vel latina, et quidem frequentior

latina quam graeca, quemadmodum ubi de collegiis agebatur dictum est; vel omnino, ubi habenda erit graeca, non desit tamen latina, et brevis sit graeca.

In Scholis. Ac ne alibi quidem in Academia.

Nec iuramenta, nec iniuriae. Non coniungimus aequaliter iuramenta cum iniuriis, vel eadem ratione dicimus non permittenda, quod similis sit horum ratio; iniuriae enim, et reliqua quae hic adduntur, rationem mali habent ex se, non etiam iusiurandum; sed hoc prohibetur propter abusum, et ne assuescant iurationi nostri auditores. Coeterum illis est exponendum, licitum et bonum esse iurare, si quis in iudicio, iustitia, et veritate iuret.

In externis. Quod si in externis, quanto diligentius in nostris. Sed nihil erit his legibus statuendum de ipsis, quos constat maiori legum obligatione esse adstrictos.

Quibus ei. Obsequio, amore Dei et virtutum, et actionibus inde proficiscentibus.

Quod ut ad memoriam. Non haec oratio fiet solum, sed instructiones item spirituales publice proponentur, quibus et ad memoriam illa revocentur, et compendio instituantur ad devotionem scholastici. Has fecit P. Laynez.

Aperto capite. Non negatur in consuetudinem esse ducendum, ut genu etiam flectant omnes, et cogantur quidem id facere pueri. Praeceptor quidem semper orare deberet, tum etiam nostri, genu flexo, praesertim si aedificatio consequatur, qui est usus hactenus in scholis nostris.

Praestat a scholis. Non hi solum sunt a collegiis reiiciendi; scil. si qui sint qui nullum capiant ex

studiis fructum propter ingenii tarditatem vel aliam causam, erit operae pretium eorum parentes admonere ut illos alio transferant, ne et ipsi operam et oleum perdant, et nostrae scholae propterea male audiant.

IN DECIMUMSEPTIMUM CAPUT QUARTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Penes Rectorem. Vel Superintendentem, de quo est in superioribus annotatum; et hunc censerem esse Universitatis Rectorem, etiam si esset alius Vice-Rector utriusque et collegii et Universitatis. Nam non videtur esse conveniens, ut coadiutor spiritualis sit Universitatis Rector, cuius etiam officium fortassis obire non poterit; vel omnino sit professus Rector collegii et Universitatis, eximiae non solum virtutis, sed etiam doctrinae.

Qui idem esse poterit. Siquidem semper erit coniunctum collegium Societatis cum Universitate. Neque enim cura Universitatis suscipietur, nisi ubi simul poterit amplum collegium nostrorum scholasticorum institui. Ea enim erit primaria pars Universitatis, praecipuum etiam propositum Societatis in Universitatibus suscipiendis.

Habebit autem Rector. Quod si Rector esset fortassis coadiutor vel non adeo doctus, ut satis iudicio valeret ad rem litterariam gubernandam, eo erunt consultius eligendi consiliarii. Curandum etiam ut in iis rebus, quae ad studia attinent litterarum, integrum

non esset Rectori contra maiorem partem suffragiorum aliquid praecipere, nisi consulto prius Provinciali Praeposito. Sed hae difficultates vitabuntur, si semper sit huiusmodi Rector professus quatuor votorum, et egregie doctus.

N. *Conferat* — V. *Tractare possit.* Non tantum possit, sed debeat etiam, quod hispanice significatur. Nam est *tracte,* idest tractet.

Erit et Cancellarius. Hic locum habebit praefecti studiorum universalis; nam particulares praefecti erunt Decani, de quibus paulo post dicetur.

Egregie versatus. Hic igitur cum esse non possit coadiutor spiritualis, erit necessum, ut sit e professis, vel certe ex his, qui absolutis suis studiis adhuc ad professionem admissi non sunt, si necessitas flagitet.

Quas ipsemet proponet. Non etiam componet, sed accipiet a Provinciali proponendas, hic a Generali. Quod si aliqua praeterea constitutio videretur Rectori addenda, eam non praescribet, vel proponet, nisi ex legitima auctoritate accepta a Provinciali etc.

Duo vel tres. Quandoquidem gradus conferantur in facultate Theologiae ac Philosophiae, non etiam in inferioribus disciplinis, nihil erit quod his detur suus bidellus. Duo enim sat erunt ad ministeria omnia praestanda, quae a bidellis desiderantur; qui numerus satis esse solet in Academiis generalibus, nisi correctorem velimus nominare bidellum, quod improprium videri poterit.

Sit decanus. Qui idem sit praefectus studiorum suae facultatis.

Et duo alii. Hi esse poterunt sub-praefecti, et subministrantes in suarum facultatum studiis, Cancellarii

et Decanorum consultores, tum etiam Rectoris; huius tamen primarii ministri studiorum et consultores erunt Cancellarius et Decani.

Ita et collateralis. Si Rectori adiunctus fuerit, quod non est necessarium.

Singulis annis. Etiam si nihil alioqui videretur intercedere, quapropter necessum esset scribere. Quod si contingeret aliquid quod pati non posset moram, eo tempore esset scribendum quo urgeret necessitas. Neque vero hi de Rectore solum et eius gubernatione facient certiorem Generalem Praepositum, sed de iis etiam quae a Provinciali in Universitate statuentur, vel decernentur. Verum nullus de his rebus scribet, nisi prius se ad orationem studiose collegerit, et hoc sit consequutus, ut videat se et spiritu Dei et recta ratione ad illud scribendum duci; dein scribat; postea confiteatur, ac sacram sumat communionem, ac rursum scriptum animadvertat, et quasi alienum iudicet; quod si tandem sibi constet, det confessario obsignatum; huius vero erit curare, ut mittatur.

De aliquibus insigniis. Recte habet quod huius rei iudicium permissum sit Generali Praeposito. Nam neque facile possunt reiici haec insignia a nostra Universitate propter usum receptum apostolica auctoritate in aliis Universitatibus, neque rursus a nostris facile usurpari possunt. Secularibus enim hominibus illa videntur esse concessa, non etiam religiosis; et tamen alienum non videretur, si consueta in Universitatibus insignia retineantur etiam a nostris, ac Rector Universitatis qui e nostris erit, sceptro quod gestari ante Rectorem solet in actibus publicis, et aliis insigniis utatur. Et haec quidem eo erit facilius usurpare, quod Congre-

gatio prima rem totam commisit Praeposito Generali constituendam, et concessit insignia pileorum: accedit quod ita usus in Societate fere iam obtinuerit.

IN PRIMUM CAPUT QUINTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

De eorum quoque. Nec de iis solum dicetur, sed de illis quoque qui sunt ad vota scholasticorum recipiendi, qui cum iam exegerint biennium in Societate, admittuntur tamen adhuc in professos vel coadiutores vel scholasticos approbatos.

Sed quia Praepositus. Anno 1546, petente Societate, concessit Paulus III. ut Romae dumtaxat emitti professio posset; deinde anno 1549 ab eodem impetratum est, ut ubilibet libere ac licite valerent nostri de licentia Praepositi Generalis professionem facere. Haec oportuit hoc loco intelligi.

Vel in eisdem. Ne intelligas, dum dat operam litteris. Non enim constare potest, ut simul quis incumbat litteris et plenis probationibus exerceatur. Sed in collegiis intellige posse novitiatum ac experientias exerceri, ut solent habere novitii in collegiis, et domibus professis, vel ipsi etiam scholastici subcesivis temporibus, ubi scilicet sunt studiorum intermissiones, possunt aliquas probationes obire, vel omnino ex dispensatione aliquid probationum retinere.

Si ad professionem. Vel in coadiutorem formatum post studia quis sit admittendus. Ita enim est hic locus intelligendus, ut est in primo et quarto cap. Examinis constitutum.

IN SECUNDUM CAPUT QUINTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Particulares Praepositi. Provinciales in primis intellige. Nam locales fere fiet, ut non noverint admodum eos qui ad professionem sint admittendi, nisi in domibus professorum fuerunt probati. Intelliguntur ergo nomine Praepositorum particularium hoc loco primum Provinciales, deinde Magistri probationum, et Rectores collegiorum, vel Universitatum, tum etiam Praepositi locales nonnunquam.

Vel alii. Ii erunt fere consiliarii eorum, quos diximus.

Ultimae probationis tempore. Hoc est tertio illo anno probationis, quae post studia adhibetur scholasticis.

Sufficiens esse. Nec hic locus, nec ille qui habetur primo cap. Examinis, ubi legimus quod non mediocriter eruditos esse oporteat professos, interpretandus aliter est, quam in diplomate confirmationis Apostolicae sancitur: exigere scilicet institutum, eos qui ad professionem fuerint admittendi, omnino humiles esse et prudentes in Christo, et in christianae vitae puritate ac litteris conspicuos, quod decima parte Constitutionum exponitur, ut sint spiritus, et selectae doctrinae viri; nam quae hic dicitur sufficiens doctrina, et in primo cap. Examinis non mediocris, hispanice est *sufficiente.* Dicunt vero hispani ex nativa phrasi illum esse suf-

ficientem, qui conspicuus est, et quasi consummatus, in quo scil. nihil desideretur, optimi et doctissimi cuiusque iudicio.

Et sacris litteris. Intellige sub his Theologiam etiam positivam, quam diligenter ad studia theologica adhibet Societas in quarta parte.

Quadriennium integrum. Quo audiant in scholis publicis Theologiam. Nam hoc temporis spatio constitutum est in quarta parte studia Theologiae in scholis esse terminanda, quemadmodum tribus annis artium studia; et quidem ille est terminus minimus. Nam qui sunt futuri doctores theologi, eos oportebit duos annos praeterea exerceri in disputationibus publicis: et esset quidem rationi consentaneum, illos qui sunt ad professionem admittendi, quemadmodum esse eos oportet litteris conspicuos, Doctores esse theologos; qui vero ea sufficientia doctrinae non essent, etiam si quatuor annis audissent Theologiam, iis concedi posset trium votorum professio: sed liberum tamen est, qui quatuor annos in scholis audivit ad professionem admittere, modo sit litteris ac spiritu conspicuus. Hoc tamen raro eveniet, ut studio quatuor annorum evadat insignis. Quocirca erit operae pretium si post auditionem quatuor annorum professionem facturis dentur duo, quibus consumment sua studia.

Theologiae Scholasticae. Simul intellige et Scripturae et positivae; breviter assertiones defendet de studiis omnibus Theologiae.

Conducibilius erit. Haec est suavitas phraseos P. Ignatii; qui quod confirmate statuebat agendum esse vel non agendum, illud dicebat melius esse, ut fieret vel non fieret; qualis phrasis est hoc loco: nam

quod est necessum fieri, id dicit conducibilius: subditur tamen illos expectare oportere etc.

Ut illos etiam. Diserte sancitur, quorum perspecta non est et probata doctrina et religio, eos non esse ad professionem admittendos, et differendam professionem. Sed tamen difficilis erit huius statuti usus, nisi certae rationes et statae praescribantur, quibus nullus offendi possit, vel debeat. Et quidem de eruditionis sufficientia facile iudicabitur, auditis suffragiis examinatorum; de vitae vero religione, etiamsi sit grave ferre sententiam, gravius etiam illam sustinere posse qui infirmiores sunt, tamen pro integritate et perfectione instituti audendum est in Christo, et auditis iudiciis eorum qui mores noverunt nostrorum, libere ac constanter et iudicandum et praescribendum, quibus probationibus exerceri debeant, qui non sat videntur esse probati, et admonendi graviter quibus in rebus non placeant, quaeve in ipsis sint emendanda.

Ex particularibus. Praesertim Provincialibus, qui audito iudicio eorum, apud quos ille plurimum fuerit versatus, statuent quod sibi in Domino optimum factu videbitur.

Vel eius. Provincialis, ut plurimum.

IN TERTIUM CAPUT QUINTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA.

Vel eius praeposito. Vel cui Societas vel Generalis Praepositus commisisset. Nullum tamen hactenus creavit professum Societas; et Societati quidem censetur

esse satisfactum, quum est Generali Praeposito satisfactum.

Obtulerit. Absoluta scilicet missa; quod est ad verbum hispanice, *quum celebraverit;* et tamen obtinet fere consuetudo, ut statim post communionem professio fiat et alia vota coadiutorum emittantur.

Se convertat. Actum est in generali prima Congregatione de ceremoniis adhibendis ad professionem, et decretum, nihil esse ceremoniarum adhibendum. Non fieret tamen fortassis contra decretum, nec censeri deberet ceremonia, si aliquid diceret qui recipit professionem, quo significaret se vota recipere ad maiorem Dei gloriam, et animarum salutem ac perfectionem, pro quibus sanguinem Christus profudit, et vitam; esse vero eum qui professionem emittit ex instituto ad impense procurandam animarum salutem dedicatum ac consecratum, ut finis Societatis altius infigeretur cordibus eorum, qui ad professionem admittuntur. Hoc si non dicant, illud tamen non est omittendum, quod hactenus obtinet consuetudo, ut emissa professione scriptum, ex quo lectum est votum publice, det vovens ei qui vota recipit, et ille recipiat, atque super altari reponat et discedens secum auferat, quae consuetudo videtur necessario introducta, ut repraesentetur vota in manus recipi. Itaque sola scholasticorum vota non dantur.

Ac omnibus circumstantibus. Quasi hi repraesentent Ecclesiam Catholicam militantem ac Societatem, in quarum facie ac conspectu vovere intelligitur quisquis vovet huiusmodi vota.

Praeposito Generali. In quo intelligimus Societatem etiam ipsam, ut quae auctoritate superior est quam

Generalis, quam etiam repraesentat, et cuius nomine vota recipit.

Locum Dei tenenti. Summi etiam Pontificis et Ecclesiae Catholicae ac Societatis.

Circa puerorum. Sub quibus intelligimus rudes, et personas quae in diplomate confirmationis exprimuntur.

Constitutionibus. Nomine Constitutionum complectemur etiam Examen et Declarationes, non tantum quas dicimus proprio nomine Constitutiones.

Contentam. Non quae praesentibus solum Constitutionibus continentur, sed quae sub futuris a Societate legitime decernendis et edendis.

Formulam sequentem. Quae in formulam professionis quatuor votorum sunt adnotata, sunt ad hanc trium votorum formulam accommodanda et ea omnia observanda, quae in edendis votis illis aguntur.

IN QUARTUM CAPUT QUINTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Vel Sacello domus. Publice emittuntur haec vota, et in manibus quidem Superioris, hoc est auctoritate ecclesiastica suscipiuntur; quare omnino est intelligendum in Ecclesia esse emittenda, nec alia de causa dici de sacello, vel alio decenti loco, quam sicubi Ecclesiam non haberemus; ibi enim in sacello aliquo, vel alio honesto loco, si fieret publice sacrum, vota illa ederentur; non enim res est privatim haec, sed publice transigenda.

Votum suum. Complexum suorum votorum.

Ego N. Similia hic loca sunt annotanda atque in formulis superioribus.

Et tota coelesti curia. Non esse addita, quemadmodum in solemnibus, haec verba *ac omnibus circumstantibus*, in hunc sensum possumus interpretari, non quod publice non sint haec vota edenda, sed quod solemnia non sint, et testimonium externorum non sit tam necessarium in his votis, quorum liberationem Societas dare potest.

Expressum. Quod dicitur in superioribus formulis contentum, nihil minus est, nihil magis, quam quod hic dicitur expressum.

Priori probatione. Non reliqua est illa probatio, quae post studia exigitur, vel omnino sunt distinguendae tres probationes; prima omnium illa anachoritica quindecim dierum vel viginti; secunda quae in communi fit convictu, donec aliquis censetur scholasticus approbatus; tertiam dicimus eam quae reliqua est, donec sit aliquis coadiutor vel professus, de qua in quarta parte declaratione sexta.

Admittuntur. Tria faciunt scholasticum approbatum, ut in 3 cap. quartae partis Constitutionum annotavimus. Primum si haec quatuor vota ediderit; dein si duos annos, ut minimum, probatus fuerit; tertio si externo praeterea aliquo signo significetur esse illum in scholasticum Societatis admissum.

Aliquibus domesticis. Non enim fiunt haec vota publice coram externis, sed publice in Societate.

Post haec perinde ut alii. Tamen non omnia illa observantur quae in aliis votis; nam non vertitur ad voventes Sacerdos, nisi quando porrigit Sacram Eu-

charistiam, nec vota recipit. Reliqua igitur erunt, ut post sacrificium missae peractum dicant primum confessionem generalem, dein vota recitent, quibus recitatis vertit se Sacerdos cum Sanctissimo Sacramento; tunc dicunt verba illa, *Domine non sum dignus,* qui voverunt, et sumunt sacram synaxim; postremo scribuntur eorum nomina in libro, et eius qui voventibus dedit communionem. Et quidem videtur necessario adhibenda haec varietas, vel similis, tametsi haec obtinet iam in Societate usum; ut alia sit ceremonia horum votorum, alia eorum quae in manibus recipiuntur, quorum est longe diversa ratio.

Curare non debet. Hoc ne cui videatur scholasticos non obligare, advertendum vovere quidem scholasticos se in Societatem esse ingressuros, et id sciunt nos interpretari ut fiant vel professi vel coadiutores; hoc autem vovent quantum ad se attinet. Porro integrum est ac liberum Societati illos vel ad alterutrum vel ad neutrum recipere. Nam si quis egregie satis in litteris promoveatur ac spiritus profectu, in professum admitti poterit; si mediocriter, in spiritualem coadiutorem; si vero parum admodum profecerit, aut adeo nihil, hic ab studiis ad temporales functiones erit traducendus. Itaque eandem abnegationem, quod ad ipsos attinet, et hi adhibere debent. Hoc tamen differunt ab aliis, quod non possint perpetuo esse in illo gradu; alii non solum possunt, sed debent. Et tamen videtur et constitutio et declaratio arbitrio Superioris relinquere, non solum in scholasticis, sed in coadiutoribus simplicibus et trium votorum solemnium, num sint aliqui ad superiorem gradum promovendi.

Qui in domibus. Paraphrastice versus est hic locus,

qui simpliciter ita reddi posset: quemadmodum scholastici debent ad finem biennii vota sua edere, et Christo Domino nostro se se obligare, similiter ii qui in domibus exercentur debent sua vota edere iuxta modum scholasticorum, et id quamvis etc. Eos igitur intellige qui in probationibus versantur, sive in suis probationum domibus, sive in domibus professorum vel collegiis. Et sensus quidem huius loci hic est, ut ii qui studiis sunt destinandi, elapso biennio, debent prius facere vota; etiam qui fortassis ante edita vota ad studia fuissent missi ante biennium, eo elapso, similiter vota debent edere; ita post biennium reliqui omnes quicumque statim non recipiuntur in professos, vel coadiutores formatos, vel approbatos scholasticos. Esse autem posset interpretatio, ut si aliqua ratione vota non emitterent expresse post biennium, tacite tamen, si in Societate perseverarent, censerentur illa vota emisisse, ita ut nullum retinere Societas velit post biennium absque votis. Alia quidem vota nullus unquam censebitur edidisse, nisi expresse id iubeat Superior; haec scholasticorum censebuntur omnes fecisse post biennium etiamsi expresse non praecipiantur. Haec igitur esse posset utilis interpretatio, quamvis hactenus non est usurpata. Utcumque sit, diligenter animadvertere debent Superiores, ne quis post biennium retineatur in Societate absque his votis.

Quod si quis. Hic proprius esset locus, ut de hac etiam ratione vovendi diceretur; sed in tertia parte apposite ad institutionem novitiorum de ea re actum est. Hic vero additur ut exemplum unum votorum detur Superiori; additur praeterea ut sua vota hi etiam renovent, de qua renovatione dictum non erat, sed de scholasticis.

Propria impulsus devotione. Nulli quidem praescribi potest ante biennium, ut voveat, tametsi id est consilium Societatis in genere, quod ex tertia parte colligi potest; et tamen ante biennium ad studia nullus mittitur, nisi qui sua voluntate vota fecerit, quod ex traditione accepit Societas a P. Ignatio. Addidit ad haec secunda generalis Congregatio, ne novitii primo biennio ad vota emittenda instigentur.

IN PRIMUM CAPUT SEXTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Enitendo angelicam puritatem. Nihil est perfectionis in castitate, quod paucis his verbis non sit complexus P. Ignatius. Nam ubi dicit *enitendo*, praecipit animi religiosam intentionem, qua continenter exerceri et ad meliora contendere debeat, ad angelicam puritatem imitandam; ibi scopum quo enitendum est praescribit, quem etsi consequi in vita hac mortali non possimus, imitari tamen possumus; consequemur autem quando erimus cum Christo beati, et similes angelis effecti. Hoc igitur contendere perpetuo debemus, quemadmodum tum ex natura sua, tum ex beatitudinis statu angeli non possunt carnis voluptatibus moveri, ut ad id nos per virtutem castitatis in Christo aspiremus; ut quam minime vel omnino nihil tangatur animus noster vel moveatur affectionibus carnalis voluptatis, et libertatem spiritus ac puritatem in Domino teneamus, si quando vel illis de rebus agere

necessum erit, vel obvenient aliquae illarum rerum, vel intellectiones, vel affectiones, vel tentationes, vel quaevis carnis motiones.

De sancta obedientia dicetur. Praeter illa, sunt quae tertia parte dicta sunt, haec enim ad illorum attinent perfectionem. Propterea hoc loco de sancta obedientia proponitur esse dicendum, quasi dicas de perfectione obedientiae.

Propter quem homini. Illud simul obversari ob oculos mentis debet, non homini solum nos propter Deum obedire, sed Deo ipsi in homine; siquidem Deo nostro vota obtulimus, et tanquam Dei ministro homini.

Iniunctum fuerit. Vel praecepto vel nutu aliquo, vel quavis sensibili significatione.

Nostrum contrarium. Non contrarium solum, sed quodvis etiam iudicium, quod aliquo modo infirmare possit perfectionem nostrae obedientiae.

Coeca quadam obedientia. Non quidem ut nihil videamus, nihil prospiciamus omnino in exercitio obedientiae, sed ita oculos mentis nostrae comparemus in Christo Iesu, ut nihil videamus, vel prospiciamus, quod perfectionem obedientiae impedire aut infirmare possit; simul in luce obedientiae versemur illustri, quae nobis quicquid a Superiore profectum sit, faciat illustre, iucundum, optimum. Quemadmodum dictum est paulo superius hoc capite et primo tertiae partis Constitutionum, ubi de hac re est annotatum.

Ac si cadaver essent. Haec metaphora et quae subditur eo spectant, ut quae possunt repugnare perfectioni obedientiae intelligamus esse prorsus a nobis abscindenda. Itaque ea quae ad abnegationem attinent

in obedientia, explicant hae similitudines; quae vero ad affirmationem spectant non declarant, sed supponunt, quemadmodum solent qui mystice Theologiam tractant in negationibus intelligere illustrissimas affirmationes. Sic igitur nobis est ad obedientiae perfectionem contendendum, ut nihil repugnemus omnino, ut nec cadaver, nec baculus repugnat moventi se; sed tamen in hac abnegatione necessum est, in gratia ac luce obedientiae ut nostram exerceamus voluntatem ac spiritus libertatem, tum gratiam recipiendo, tum illi cooperando in Christo et veluti cernamus in luce, recta, bona, sancta esse quae obedientia proponit.

Ad auxilium totius corporis. Ac ne hoc quidem ita disquirere debet, qui obedit, sed omnia existimare esse optima, quae ab obedientia proficiscuntur; omnia esse, et ad auxilium Societatis, et ad multos praeterea alios praeclaros fines a Superioribus destinata.

Potiusquam. Est haec catachresis. Non est enim propria comparatio; neque illum intelligimus bene agere, qui proprium iudicium sectando, et quidem diversum, obedientiae obluctatur.

Et praecipue in interiori. Ne propterea interpreteris externam posse negligi; sed utramque esse debere praecipuam in suo genere, sed interiorem praecipuam magis.

Nec privatus quispiam. Privati intelliguntur omnes si ad suos Superiores referantur, et solus est Generalis qui privatus in Societate non sit, nisi cum Societate ille quoque conferatur. Res igitur ita habet: Generalis quidem Praepositus a Summo Pontifice gratiam, quae ad universam Societatem pertineat, vel particulariter ad personam Generalis Praepositi, inconsulta Societate,

petere non debet, praesertim si dubium sit, an e re Societatis illa sit futura: alius item nullus poterit a Summo Pontifice gratiam aliquam petere, inconsulto Generali. Poterunt tamen Commissarii, et Praepositi Provinciales ab aliis petere quod e servitio Dei videatur, poterunt idem Praepositi locales et Rectores, sed his erit haec facultas exponenda diserte vel etiam circumscribenda attente. Qui vero omnino privati sunt, ne ab aliis quidem poterunt, nedum a Summo Pontifice, gratiam aliquam postulare, suis Superioribus inconsultis. Non propterea tamen interdici hoc loco intelligimus, quin possit quivis ad Summum Christi Vicarium adire, nec volumus Pontificis Romani auctoritatem supremam interpellare: sed hoc ideo constitutum est, ne temere quis vel seditiose de rebus suis ad Principes adeat, vel praetermissa vel neglecta religiosa obedientia. Id vero scimus Summum Pontificem probare. Quod si quis sit, qui omnino vellet Summum Pontificem aliqua de re adire, inconsulto Superiore, is esset quidem libere dimittendus, sed ad Societatis domos vel collegia admittendus non esset, quandiu in eo negotio perseveraret: et simul danda opera esset ut intellegeremus quid novi moliretur, et intercedendum atque agendum omni studio, ne quid pateretur detrimenti Societas, vel ne quid cuique concederetur, quod non esset ex usu illius futurum vel Societatis.

IN SECUNDUM CAPUT SEXTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Quicunque in ea professionem emiserint. Non excluduntur tamen coadiutores formati, quos est necessum idem vovere, siquidem habere possint suffragia in omnibus aliis, praeterquam in electione Generalis Praepositi; et ex eorum etiam arbitrio pendere possit haec mutatio, qua de re in octava parte dicetur.

Promittant. Formula voti edita est in generali prima Congregatione.

In domibus. Professorum scilicet, non etiam probationis; hae enim possunt habere redditus; quod constat ex primo capite Examinis etc.

Sit ulla dispensatio. Est hispanice et hic et in declaratione *dispositio,* ut latine in declaratione vertitur dispositio, et videtur dispositio dici universalius quam dispensatio, ac propterea magis convenire.

Quum aliquo non mittuntur. Et tamen, ubi in ministerium mittuntur professi, quae erit multo maxima eorum occupatio, vivent ex eleemosynis. Quod igitur dicitur, quum aliquo non mittuntur, propterea fit ut intelligamus fieri posse, ut professi ad visitandum mittantur vel ad alia Societatis negotia, in quibus cum versantur, non sit illis ex emendicatis eleemosynis vivendum.

Ordinarium. Extra ordinem enim praesidere collegio poterit professus, non ad tempus solum, sed etiam indefinite, ut est in prima declaratione decimi capitis

quartae partis Constitutionum. Universitati etiam poterit professus ordinario officio praeesse, ut ex hoc loco colligitur; si id scil. exigat necessitas vel magna utilitas, quae fere hoc exigent. Et de professis quidem hic agitur quatuor votorum, nam trium votorum hi sunt coadiutores, ut superius annotavimus. Cur autem censuit P. Ignatius coadiutores esse ordinarios Rectores collegiorum, illam causam adferre possumus: Rectoribus enim incumbit proprie ex officio rerum temporalium cura immediata et ordinaria, quae est a professorum instituto aliena, praesertim quatuor votorum. Praeterea paupertatis ratio in collegiis est inferior quam in domibus professis, etsi usus debeat esse similis.

In domibus utantur. Ac ne in missionibus vel peregrinationibus quidem, ut dictum est. Haec quum ita sint, possunt tamen de proventibus collegiorum, ex concessione Iulii tertii, sustentari non coadiutores solum, sed professi etiam, qui vel senio confecti vel infirmitate aliqua gravati ad operandum in vinea Domini usui esse non possunt.

Quamdiu in domibus erunt. Professorum, vel in missionibus, vel in peregrinationibus, quemadmodum de professis est dictum.

Vel lectores. Fere non poterunt hi esse idonei ad interpretationem superiorum scientiarum; usus tamen ipsorum esse poterit commodus ad docendos pueros, et omnino eam facultatem litterarum, in qua valebunt.

Desinent in eis. Nisi id fiat iuxta concessionem Iulii, ut modo dictum est.

Habitabunt. Vel in peregrinationibus, vel missionibus versabuntur ad vineam Iesu Christi excolendam.

Nec in communi domus. De paupertate Societatis copiose quidem Constitutiones ac Declarationes hoc capite statuunt, et in secundo capite quartae partis Constitutionum annotavimus diligenter satis; nihil tamen oberit si denuo de eadem nonnulla attingamus. Illa igitur primum supponantur, quae in quarta parte diximus, dominium simplex habere Societatem professam bonorum, quibus dotantur collegia. Societas vero professa intelligitur non quae complectitur scholasticos vel novitios, siquidem proprie ex his non constat Societas; non enim pervenerunt ad Societatis terminum ac consummationem, sed in via tantum sunt; sed quae complectitur, et professos, et coadiutores formatos; ea igitur habet dominium simplex. Nam non ex professis solum, sed ex coadiutoribus constabit generalis Congregatio, quae universam Societatem repraesentat, in qua etiam de his bonis erit statuendum. Itaque simpliciter dominium illorum bonorum est professae Societatis, nullum tamen habere potest eorum usum ipsa, nec de facto nec de iure; collegae vero non proprietatem illorum, sed usum habent, ad arbitrium tamen Societatis. Ad haec professi et coadiutores post edita vota, et nihil omnino possidere possunt, et ab intestato illis succeditur; tum vacant eorum beneficia et officia, si qua ante emissa vota non destribuerint; non possunt haereditates adire, non donationes accipere, vel ex similibus contractibus dominium aliquod suo vel alieno nomine adipisci, ac ne horum quidem nomine Societas ipsa acquirere quicquam horum potest. Scholastici autem et quicunque habent vota scholasticorum, quamvis paupertatem voveant, non censentur tamen se se abdicasse dominio simplici

rerum suarum. Ea scil. est ratio voti paupertatis in illis, nam usum illarum rerum non habent, nisi si quando id fiat ex Superioris arbitrio, sed rerum proprietatem tantum sustinent, nihil aliud; et id quidem ne videantur rebus suis esse privati vel temere vel intempestive, si antequam coadiutores sint vel professi, contingat aliquem vel recedere vel dimitti. Fructus autem illarum rerum vel res etiam ipsas non possunt, nisi quando praecipiet Superior, nec nisi pauperibus ex consilio Christi dispensare; praecipere tamen id non potest Superior, nisi anno primo elapso; quod si haec aliter faciant, factum non tenebit. Possunt igitur huiusmodi adire haereditates, praesertim ad quas ius aliquod habebant etiam futurum, donationes recipere; non potest tamen Societas illorum nomine in haereditates succedere etc. Qui vero vota non ediderunt, de his eadem est ratio post annum exactum probationis, propter votum vel promissionem, quam initio novitiatus emittunt; maior est tamen eorum, qui votum habent paupertatis, obligatio, sed primo anno, etiam si nulla promissione teneantur haec praestare, voluntario tamen animi proposito ab instituto recedere non debent, ut in aliis rebus sunt sua voluntate obedientes. Et gravissimum quidem esset in illos animadvertendum, si ante elapsum annum, vel inconsulto Superiore, bona distribuerent, vel omnino non iuxta Christi consilium et Societatis institutum; vel etiam essent dimittendi, ut inobedientes in re gravissima, et qui spiritu religionis non ducantur. Iam vero quod attinet ad paupertatis observationem et praxim, eadem ratio est omnibus quotquot vivunt sub obedientia Societatis, eadem est districtio, idem modus; neque enim propterea minus

districte in paupertate vivunt qui non sunt professi vel coadiutores, quod dominium rerum suarum non amiserunt. Sunt enim usu tam vere pauperes, quam qui verissime; censentur autem versari in via, ut sui status, donec plene ad Societatem admittantur, ita distributionis ipsius, et dispensationis suorum bonorum; illis enim interim uti non possunt, sed dispensare solum ex praescripto Constitutionum, et necessum est illos et animo et usu rerum omnium esse pauperrimos.

Ad eas petendas. Ac ne ius quidem civile aliud quodpiam acquirere poterit Societas vel dominium, quod in huiusmodi eleemosynis retineat: siquidem redditus sint, vel ea quae redditibus aequivaleant, quod et constat ex formula instituti, et constantissime est observandum.

Vel visitationes. Ne intelligamus ex hoc verbo esse officium vel ministerium Societatis ex instituto visitare Monasteria, vel Ecclesias, vel quascumque personas. Hoc enim, si nihil aliud, necessario colligimus ex diplomate facultatum Pauli III. Illud igitur dicimus, si extra ordinem iuberet Summus Pontifex, ut aliquam visitationem obiremus, pro ea, ne nomine quidem eleemosynae, quicquam emolumenti temporalis accipere possemus. Et hic quidem locus ita videtur exponendus; non enim est verisimile, ut de visitatoribus Societatis intelligatur. Nam pro illis stipendium accipi posse absurdius est, quam ut de eo vel dubitari potuerit vel debuerit fieri constitutio.

Compensari videatur. Ecclesiasticum stipendium legitime accipiunt clerici seculares pro suis ministeriis, modo nihil pacti intercedat, nihil quod ad simoniam spectare possit, et id quidem stipendium illis iure di-

vino debetur. Hoc ius fere non habent religiosi, illud tamen retinent communiter, ut eleemosynas recipere possint ad sua ministeria relatas. Utroque horum se se abdicat Societas; neque enim ecclesiasticum stipendium potest recipere pro ministeriis suis, ac ne eleemosynas quidem, quae ad illa referantur. Simplici autem eleemosyna contenti, speramus omnem speciem et occasionem avaritiae a Societate depulsum iri in Christo; quod si quis contra faciat, sciat, quod accipit, id suum non fieri, nec de iure, nec de facto, et ad furtum vel sacrilegium spectare.

Nec huiusmodi. Constat etiam ex autographo nihil haec attinere ad foeminas, quas voluit haud dubie excludi providus Pater. Nam quum diceret personas hispanice, quod ad utrumque sexum referri poterat, adiectivis masculinis mentem suam aperuit; semper enim diligenter cavit mulierum visitationes.

Vel indigentia id exiget. Ex obedientia intellige sive generali sive particulari.

Haereditariae successionis. Cuius intelliguntur non esse expertes scholastici, vel qui vota scholasticorum habent, ac ne beneficiorum quidem sunt expertes.

Nec collegia. Nec domus probationis.

Eorum ratione. Ratione professorum, vel coadiutorum non succedunt domus; num poterunt nomine scholasticorum? Nec horum ratione poterunt. Nam quum ipsi iure suo non cadant, quoad non sint professi vel coadiutores, et quae possident obligentur pauperibus distribuere pro sua devotione ex consilio Christi libere, et id solum possit praescribere Societas, non erit unde illis succedi possit. Potest tamen Societas, ubi videbitur tempus, ipsis praescribere, quo tem-

pore debeant illa distribuere, et debet quidem diligenter observare ac providere, (praesertim ubi contingeret aegrotare nostros), ne quae sint bona pauperibus distribuenda, ea per negligentiam temere redeant ad seculares successores. Quod de scholasticis est dictum, idem de novitiis intelligi dubium esse non potest.

Sic in omnibus litibus. Hae quidem ex parte praecidentur lites. Verum alias cogetur Societas lites sustinere nomine collegiorum et domorum probationum, atque etiam domorum professorum nonnunquam. Utcumque contingat, tamen omni studio est contendendum, ut iudicio non contendamus, et potius iniuriam patiamur, si ita necessum videatur; atque ubi evitare litem non poterimus, vel non debebimus, curandum, ut compromissione res transigatur. Quod si id assequi non possimus, esset tum modestissime lis agenda per procuratores saeculares, ita tamen ut prius faceremus publice manifestum ius nostrum; simul profiteremur nos invitos ad iudicium venire; offerre etiam, iacturam aliquam iuris nostri nostra voluntate esse subituros, modo ne cogamur lites sectari. Hac de re editus est canon in secunda Congregatione generali.

Alicuius de ipsa Societate. Nam pro aliis iumentum ali non posse, dubitari non potest; propterea necessum non fuit exprimi.

Minimeque diversa. Ne ita intelligas, quasi nihil iudicii reliquum fiat Rectoribus, quo plus minus facere aliquid possint, quam quod medici consuluerint; sed quum sciamus omnes rationem nostrae dietae quotidianae ac consuetae, erit tamen pro regionum varietate medicus consulendus, num aliquid sit quod possit valetudini fratrum obesse. Et omnino est semper in

his rebus eo spectandum, ut ne quid noceat viribus corporis, unde exercitia ac ministeria praecipua interturbari vel impediri possint, si plus minus fiat.

Ut quod quisque sibi. Non suo solius arbitrio, sed, quemadmodum in proximo capite Examinis est, Superiore id probante.

IN TERTIUM CAPUT SEXTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Habita ratione temporis. Quod tempus ad minimum definitum est biennio vel triennio in scholasticis; alias est indefinitum, quoad Superiori sit satisfactum.

Tanquam certum ducitur. Est hispanice, *se presupone*, idest praesupponitur; quasi dicat, haec est Societatis hypothesis vel suppositio, ita credit, ita sperat futurum; quod tamen si aliquo casu, vel negligentia, vel etiam aliquo mentis vitio, aliter eveniret, esset tunc alia disciplina utendum, non illa libertate vel securitate, quae ex illa hypothesi sumitur.

Ut per eam currere. Iuxta nostrae vocationis atque instituti rationem.

Non videtur in eis. Quum iam professi et coadiutores in regulis omnibus, quae novitiorum sunt propriae vel scholasticorum, fuerint sufficienter exercitati, atque ex regularum observatione supponatur, eos ad fervidum quendam spiritualis vitae statum pervenisse in Christo; non erit quidem necessum eos illis esse regulis obligatos vel quasi in probationibus versari:

atque adeo ex superiorum temporum exercitiis habitum intelligimus comparasse professos et coadiutores, qui vicem regularum supplere possit et debeat. Itaque eos intelligimus in privatis exercitationibus non esse regulis vel incitandos vel inhibendos, vel etiam docendos in his de quibus hoc loco agitur, sed praesenti obedientia ac peculiari, et speciali gubernatione; siquidem perfecto spiritu Societatis ducuntur, qui non est interpellandus, sed observandus diligenter a Superioribus et confirmandus; et monendi omnes, in illum ut incumbant fortiter et suaviter in Christo, magna et vivida devotione. Superiorum enim in Societate hae sunt partes, primum dare operam, ut qui tradunt spiritualia exercitia, ii non praeeant illis, quos exercent, sed suppeditent tantum principia, ex quibus ad Deum adire possint in Christo, et illius voluntatem, gratiam, spirituales monitiones, dona spirituali sensu percipere; unde suam vocationem Deo referre acceptam possint, vel vitae renovandae melius ac firmius propositum. Cum vero iam sunt ad Societatem recepti, ibi in gratia nostrae vocationis illis est praeeundum. Acceperunt enim Superiores huius gratiae ministerium divina benignitate; hoc vero agunt Constitutionibus, regulis, consuetudine, doctrina, breviter tota instituti ratione ac religiosa disciplina, atque eo contendunt, ut plenum ac perfectum spiritum ac gratiam Societatis imbibant; quem cum fuerint assequuti, rursum non est illis praeeundum, sed gratulandum in Domino potius quod eo pervenerint, ut Deo coniuncti fiant Θεοδίδακτοι, idest quos unctio spiritus sit edoctura. Sed ita tamen intelligant hunc esse Dei spiritum et Societatis, si in humilitatis et obedientiae perfectione illo ducantur,

ac suavissime omnia subdant Superiorum iudicio ac voluntati in Christo; subdant etiam se facile domesticis regulis. Colligere igitur possumus hoc loco ad quantam perfectionem debeant pervenire professi et coadiutores: id Patrem Ignatium exposuisse, ad eam scil. quae non egeat regulis. Itaque ex illa hypothesi non videntur regulae adhibendae; verum non erit propterea domus professa absque regulis suis, et quidem, pro eius statu perfectiori, perfectioribus. Certe hactenus regulis fuerunt astricti professi, non in collegiis tantum, sed in domibus etiam professorum et in eisdem illis rebus, de quibus hic agitur. Illud enim quod dicitur, non videtur libertatem facere ponendi regulas professis; tum etiam necessitas explorata facit, ut regulae omitti non possent.

Nec in corporali exercitatione. Non intelligimus corporalem tantummodo esse exercitationem ieiunium etc. sed simul spiritualem. Nam ad suas virtutes haec attinent, ex virtute et spiritu proficisci debent, spiritum exercent et augent; sed quod in corpore illae virtutes exerceantur, ideo corporalia dicuntur exercitia ad differentiam orationis, meditationis et studii litterarum.

Discreta charitas. Idest affectus charitatis ex ea prudentia ductus, quam ex proprietate gratiae nostri instituti accepimus in Christo.

Ubi dubium acciderit. Observandum eo accuratius est Superioribus, si liberiores erunt professi et coadiutores, ne plus minusve faciant quam pro suo gradu; severius etiam animadvertendum, si quid sit quod reprehensione in ipsis dignum esse videatur.

Missae celebratio. Alia est ratio frequentiae com-

munionis, alia celebrationis missae; nam frequentius quam octavo quoque die non datur communiter eucharistia eis, qui sacerdotes non sunt; sacerdotes vero legimus quarto capite Exam. postquam sunt ad Societatem admissi, debere frequentius missam quam octavo quoque die celebrare; servandas praeterea ab eis esse in hac re ordinationes vel constitutiones domus, quemadmodum in regulis exponitur. Et consuetudo quidem est iam inde ab instituta Societate continenter observata, ut, nisi urgeat causa atque impediat, quotidie missam celebrent Sacerdotes omnes; neque hoc loco quicquam est intelligendum dici, quod cum hac consuetudine pugnet; neque enim quisquam erit qui dicere audeat, illam esse frequentiam a novitiis observandam, non etiam a professis. Nam quotidiana missae celebratio perfectorum potius est quam incipientium.

Ultra octo dies. De sola communione quidem et confessione hoc dubium esse non potest; sed de celebratione videtur difficile, propter ea quae proxima annotatione diximus. Quid igitur? negative cum dicatur non esse celebrationem ultra octo dies differendam, nihil sequitur incommodi; nam ne ultra triduum, vel etiam biduum est differenda. Verum, dicas, cur igitur dicitur ultra octo dies? Propterea quod in itinere possit ad octo dies differri celebratio, ut habet consuetudo, vel omnino possunt ita urgere negocia, ut ante octavum diem celebratio possit intermitti, non etiam ulterius, et tamen observanda est constantissime consuetudo de celebratione quotidiana.

Ut eam partem. Est haec constitutio accommodata ad rationem domus professorum, qualis est Romana hactenus, in qua versantur simul novitii cum professis.

Itaque necessum est multas esse in ea regulas, quae ad professos et coadiutores non pertineant, sed quae sint propriae novitiorum. Ubi vero pura esset professorum domus, in ea suae essent regulae ad professos et coadiutores accommodatae, et communiter ab omnibus observandae; quamvis hae non praescribent de illis, si qua sint, in quibus voluerit Societas suam libertatem spiritus professis et coadiutoribus constare.

Tam sit in hoc, vel in illo loco incerta. Singulorum intellige professorum vel coadiutorum incertam residentiam vel habitationem; constanter tamen domus professae retinendae sunt, in quibus certa sit professorum et coadiutorum habitatio. Caeterum quum evenire possit, ut ex eadem domo eodem tempore magna pars professorum et coadiutorum ad vicina loca mittenda sit in ministerium, ac reliquam esse partem necessariam ad ministeria Societatis in nostra Ecclesia exercenda, facile intelligitur non convenire, ut in domibus professis usus chori instituatur, ac ne in collegiis quidem propter studiorum necessariam et assiduam occupationem. Porro domos probationum habere chorum, ratio probationum Societatis non patitur. Haec quum ita sint, interrogatus tamen P. Ignatius a quodam Patre Societatis, quid ipsum movisset ad interdicendum Societati chorum; respondit: Ego ita existimabam, si chorum non haberemus, universus mundus sciret nos otiosos esse, ubi nos videret animabus iuvandis non dare operam; itaque hoc esse nobis calcar, ut illas vellemus iuvare. Haec dicebat, ut narravi, simplicissime. Alias vero cum de instituti ratione rogaretur, solebat causam referre ad eximiam illam mentis illustrationem, quam ipsi Deus gratifica-

tus est Manresae, de qua alias dixi; quasi illic omnia accepisset a Domino, quasi in spiritu quodam sapientiae architectonico.

Non utentur nostri choro. Ac ne tueri quidem chorum possent ullo pacto, sive ad rationem instituti spectes sive ad singulos gradus Societatis. Neque vero in aliis religionibus, vel concionatores, vel confessarii, vel etiam scholastici ad chorum ventitant; novitiis autem solis nullus dicet posse chorum committi, et est alia ratio novitiatus nostri quam aliarum religionum solet. Nam nostri novitii secedunt ad exercitia spiritualia, peregrinantur, inserviunt hospitalibus et nosocomiis, serviunt domi, exercent suum talentum in iuvando proximo; ubi, quaeso, inter haec locum habere poterit chorus, nisi violenter et perturbate? In Societate igitur nullus est, qui chorum possit sustinere. Et hoc quidem consentaneum est sententiae D. Gregorii, qui, ut refertur d. 92., interdicit, ne Sacerdotum quis vel diaconorum cantet in Ecclesia Romana, et praecipit ut praedicationi, quod illorum est munus, et eleemosynarum studiis vacent, cuius sententiae luculenter subscribit D. Thom. secunda secundae q. 91, art. 2. Nobilior, inquit, est modus provocandi homines ad devotionem per doctrinam et praedicationem, quam per cantum; et ideo diaconi, et Praelati, quibus competit per praedicationem et doctrinam animas hominum provocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc a maioribus retrahantur. Nihil potuit vir doctissimus dicere, quod magis nostram institutionem confirmaret. Nobis enim competit ex instituto, ex vocatione, ex officio, ex obedientia tum nostrorum Superiorum, tum Romanae Ecclesiae, proximum iuvare

doctrina, praedicatione, sacramentorum administratione; omni verbi ministerio ad salutem et perfectionem animarum incumbere, tum opera etiam misericordiae externa procurare. Igitur choro insistere, chorum curare nec possumus, nec debemus. Tanti vero nobis est aestimanda salus animarum, pro quibus sanguinem et vitam Deus profudit, ut fortissime abigere debeamus omnia, quae nostrum ministerium quod in illis iuvandis insumere debemus, vel minima ex parte interpellare possint, et omnia certatim investiganda sunt potius, colligenda, usurpanda, quae ad illud possint ministerium esse quoquo modo utilia; tantum abesse debet ut nostra voluntate ea admittamus quae totum fere hominem requirunt, quo in genere est chorus. Itaque in antiquis conciliis semper fuit cantorum et psalmistarum gradus ab aliis separatus, et illarum religionum proprium esse chorum videmus, quae operam ad proximum iuvandum non conferunt ex instituto. Nam Ordo Praedicatorum, ut ex eorum annalibus constat, initio chorum non habuit, ut liberius praedicationi vacaret; omnes enim monachi verbum Dei ministrabant: postquam autem admissus est chorus, fuit necessum, ut magna eorum pars choro quasi alligaretur, et non tam multi essent, qui doctrinae et praedicationi insisterent. Verum, dicas, huic instituto Paulus IV contradixit; quare integrum nobis non est illud retinere. Paululum sustine, obsecro, donec ad finem Constitutionum veniamus, ubi scribemus, Christo propitio, quae praecepit Paulus; et fiet, spero, compertum, nihil quae diximus decreto Pauli immutari. Lubet tamen hoc loco historiam chori breviter commemorare. Constantissime, quoad vixit, tenuit sententiam suam Pater Igna-

tius, ne chorus in Societatem induceretur, ac vehementer commotus est, ubi, creato Paulo IV, illum intelligeret minari nobis chorum. Minatus est tantum, vivo P. Ignatio. Nil praeterea. Nulla igitur mentio chori ante obitum optimi Patris Ignatii facta est, ac ne postea quidem a Societate. Nam quod prima et secunda generali Congregatione de cantu missae et vesperarum dictum est, id non attinet ad chori institutionem. Nam chorum intelligimus plenum usum in choro officia ecclesiastica celebrandi. De hoc igitur nunquam in Societate actum est, ac ne cogitatum quidem. Nam quod in prima Congregatione generali imperaverit Paulus IV chorum recipi a Societate, id vero fuit quod constantiorem sententiam Societatis elicuit de non admittendo choro, qua de re ad finem horum scholiorum diligenter annotabitur. Quo autem pacto ea pars chori quam retinemus, ut missae et vesperae cantentur diebus dominicis et festis, introducta sit, cum id etiam videantur Constitutiones prohibere, et initio fuerit inusitatum, est attingendum. Nulla erat cantus missae suspicio vel cogitatio ante annum 1554. De vesperis haerebamus verbis Constitutionis, magna simplicitate ac confidentia, nec tamen adhuc erant vesperae usquam cantatae. Cantabatur quidem simplici tono officium, quod vocant tenebrarum, feria sexta et sabbato sanctis, tum officium mortuorum pro nostris. Pater Ignatius, haud dubie spiritu bono ductus, auctor fuit Romae, ut cantaretur quidem missa diebus dominicis et festis cantu gregoriano, vesperae cantu quodam musico, quem communiter dicunt falsum bordonem. Hinc in Germania factum est, ut etiam cantu musico missa ageretur. In Italia et Sicilia fere sunt

imitati domum Romanam. In Hispania cantum quidem missae et vesperarum illis diebus receperunt; verum nec cantu gregoriano, nec musico, sed eo quem designant Constitutiones, qui dici solet unitonus. In Portugallia nil horum admiserunt, quod displicuit P. Laynez, nec tamen ipsos ad illam chori partem adegit, ac ne Congregatio quidem secunda: in qua etsi gravissime actum est, ut Lusitani reliquae Societati se se accommodarent, sed ita tamen temperate edixit Congregatio, ut nihil aliud intelligatur quam chorum illis praescribere posse Generalem Praepositum, quod postea fecit, commotus Pii V edicto, de quo appendicem addemus, ubi de Pauli IV agemus mandato.

Quum homines itidem. Non est sola haec causa, sed aliae item gravissimae et necessariae. Nam animarum communem curam nullo pacto possumus suscipere, quandoquidem eam subsequitur ius ad stipendium ecclesiasticum, quod pugnat cum instituto nostrae paupertatis ex diametro. Ad haec, Societas in Ecclesia est inducta ad ordinem ecclesiasticum et ecclesiasticos ministros iuvandos; quare nullum beneficium ecclesiasticum alio avocare debemus, sed potius boni consulere et iuvare, ut ecclesiarum ministri sua habeant stipendia, suos rèdditus; nos vero in nostra paupertate gloriemur et conquiescamus suavissime, et illud habeamus persuasum, etiamsi huiusmodi curam animarum non accipiamus, cui respondent beneficia, accepisse tamen nos necessariam animarum curam ex vocatione et instituto. Ad hunc enim finem, ad hoc opus sumus vocati; haec est nostra obedientia, haec est vita nostra. Vae nobis acerbissimum, si curam animarum et quidem omnium non habeamus, si in ea non incum-

bamus intensissime, et illarum praesertim animarum, quae vel pereunt vel periclitantur, quod vel desint ministri, vel, si qui sint, negligenter tamen agunt, si nihil aliud. Sed quod modo dicebamus, nullum ecclesiasticum beneficium alio averti debere a Societate, intelleximus ut domibus professis applicentur; et tamen collegiis, si qua applicari continget, vel domibus probationum, ea nolumus esse huiusmodi, quae curam aliquam habeant annexam animarum, vel omnino ecclesiasticum ministerium, sed quae dicuntur praestimonia etc. Nam Monasteria, quae vel iam olim secularibus hominibus sunt concessa, vel in quibus nulla sit reliqua spes pristinam disciplinam vel restituendi vel conservandi, ea ad collegia fundanda vel probationum domos optandum est et curandum ut applicentur, commutato pristino instituto in nostrum. Nihil enim inde labefactatur cultus ecclesiasticus, sed augetur potius.

Mulierum religiosarum. Quod curam non accipiamus mulierum, multae sunt causae; nam est plena molestiae, occupationis, periculi etiam vel obmurmurationis illa cura; quod experientia comperit insigni P. Ignatius. Nam quum in obedientia tres mulieres accepisset ad initium fere Societatis, et id quidem iussu Pauli III coactus; omnes quotquot Romae tunc domi agebamus, habuerunt illae mulieres continenter fere occupatos. Exhibuit nobis etiam una ex illis negocium non mediocre, et in iudicio fuit necessum, ut cum illa contenderemus. Postremo magna cum laude Societatis statuit idem Summus Pontifex, ut illarum cura liberaremur. Unde intelleximus, quod iudicium semper fuerat P. Ignatii, non esse e re nostri instituti, ut mulierum curam accipiamus peculiarem.

Vel aliarum quarumcumque. Similem curam, atque de religiosis mulieribus solet haberi, eam dicimus de nullis mulieribus esse suscipiendam; non tamen propterea non sunt mulierum ordinariae confessiones suscipiendae; vel alioqui non interdicitur, quin bona consilia possimus mulieribus suppeditare, quibus domum, familiam, filios possint christiano spiritu gubernare. Quod si illam curam suscipere non possumus, quanto minus ad vota nostrae obedientiae hortari mulieres, vel etiam viros saeculares debemus, vel illorum vota recipere, vel probare. Atque adeo si sciremus, nobis inconsultis, votum obedientiae ipsos edidisse, ut nobis obediant, illud deberemus irritare; quod ex ratione eiusmodi voti indubie possumus. Nam si permittamus illos perstare in illa obligatione, etiamsi negemus nos recepisse illa vota, incumbet nobis tamen cum illis ita agere ac si vota probaremus, atque recepissemus.

Ad missas perpetuas. Ne ad temporarias quidem, quod conficit ratio, quae subditur. Adde quod hae si admittantur, fiet ut perpetuae sint futurae missarum obligationes, siquidem temporariae possunt invicem sibi succedere continenter. Porro illud hoc loco succurrit annotandum, thesaurum habere Societatem pretiosissimum in missis. Nam quum nihil accipiat eleemosynarum pro ullo ministerio, nullam missarum obligationem, erit ei semper liberum missas applicare ex propria voluntate ac devotione, non ex aliena quasi debitas. Itaque pro suis ministeriis, pro Societate, pro necessitatibus suis, vel publicis, vel privatis, vel pro Ecclesia erit Societati integrum semper missarum sacrificia plene offerre; et si quando pollicebitur missas

aliquas celebrare absque ulla obligatione, id faciet; et rursus pro suo arbitrio ad illorum, qui rogant, veram utilitatem conferet, quae saepe numero non est recta ratione vel devotione concepta. Quod vero pro fundatoribus collegiorum missas perpetuo sibi indicit Societas, id e gratitudine facit, nulla externa obligatione.

Libertas. Nec libertas illa patitur vel perpetuas, vel etiam temporarias, nec aliae causae. Quare constans est et usus et consensus in Societate, ut nulla missae obligatio suscipiatur.

Quoad eius fieri poterit. Hac phrasi non significatur debilitas prohibitionis, sed vehementia, et contentio, ut secus nunquam fiat; ut in superioribus non semel annotavimus.

Testamentariorum. Hi sunt executores testamentorum, quorum cura, etiam si videatur ad opera pia implenda spectare, nobis tamen interdicitur propterea quod nunquam fere non immiscentur negocia secularia, quandoque etiam iudicia. Porro quin condendis testamentis adesse possimus, non prohibetur hoc loco; consuetudo tamen Societatis est constans, ne id agamus, ut avaritiae opinionem, quae oriri inde posset, effugere possimus, vel etiam ne male audiamus ab iis, qui esse haereditatem vel legata a se ablata, etiamsi iniuria id essent dicturi, fortassis conquererentur. Possumus igitur ad legata pia condenda commode adhortari; adesse condendis testamentis non debemus. Coeterum quod hic professis interdicitur et coadiutoribus, ne testamentarii esse possint, vel procuratores externorum, reliquis omnibus interdictum intelligitur quotquot sub obedientia Societatis vivunt.

Idem procurator. Posset idem procurator hoc prae-

stare, modo ratio communiter haberetur impensarum, si negocia attinerent ad universum corpus Societatis; si ad domus professorum, non debebit, ne uti videantur rebus collegiorum professi, si alatur procurator atque eius ministri a collegiis, qui propria professorum negocia gerat; quae tamen si geret, debebit domus professa exactissime contribuere impensis, quae faciet collegium in procuratorem. Ad haec igitur negocia professorum satius erit, ut coadiutor aliquis e domesticis designetur; vel omnino aliquis externus, quod quidem longe erit et expeditius et securius, constituetur, tametsi erit necessum curam accipere aliquem e coadiutoribus nostris intelligendi, quae a procuratore fiant, atque etiam dirigendi. Nullus tamen professus procurator sit, quod ultimo etiam capite nonae parte Const. statuitur.

Nisi qui ad peccatum. Is erit solus Summus Pontifex, quandoquidem sumus a quavis alia iurisdictione exempti.

Nisi in causis. Aliud praeterea erit a Superiore animadvertendum, num sit aliquod naturae ius vel divinum sive etiam humanum, quod nos astringat. Nam iura haec vicem iudicis habent, qui cogere possit.

IN QUARTUM CAPUT SEXTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Cum fide viva. Ea est quae per charitatem operatur. Est enim vita fidei et virtutum omnium charitas.

Mane proximo. Proximum tempus quo celebrari

missa possit, expectandum erit necessario ad missas applicandas; ad orationes nihil expectandum, sed statim vocandi sunt fratres ad orationem; quod statuit noster Pater Franciscus, et iussit Secretario, ut per universam Societatem litteris significaretur.

Iuxta Superioris arbitrium. Statuit P. Laynez, ut ubi moritur aliquis e nostris, ibi celebrentur pro eo tres missae a singulis sacerdotibus primo quoque tempore, in eadem provincia duae, in aliis una, ac similiter orent fratres; et obtinuit haec praescriptio. Non erit igitur liberum minus facere, nec ad plura suffragia debebit facile obligare Superior. Sed de hac re fuit postea factum decretum in tertia Congregatione generali.

N. *Et obligationes* — V. *Vel obligationem.* Possunt quidem intercedere obligationes aliquae, ut si quis e nostris collegium aliquod fundasset: sed tamen obligationes praeterea laxe hoc loco intelligere possumus, quasi rationes vel causas dicamus, quae ad continuandas missas et orationes moveant.

In illis locis quae Superior. Dubium non est, quin intelligatur Generalis Praepositus vel generalis conventus, qui soli possunt quotquot vivunt in Societate obligare, quid omnibus locis conveniat iudicare; quod iam fecerunt, ut proxima annotatione est dictum.

IN QUINTUM CAPUT SEXTAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

N. *Excepto voto* — V. *Praeter expressum votum.* Non intelligimus quatuor vota solemnia solum excludi, sed vota etiam alia simplicia paupertatis, castitatis, et

obedientiae, quae in Societate eduntur; votum sive promissionem distributionis bonorum; votum ingrediendi Societatem; vota praeterea, quae edunt post professionem professi, quae omnia ad peccata mortalia obligant, si quis contra faciat.

Posse obligationem. Ex vi scilicet eiusmodi constitutionis, regulae, vel ordinis. Nullam enim addit obligationem Societas ad peccatum aliquod, addit ad poenam religiosis peculiarem, quae appellari solet poenitentia; ut si quis e refectorio excludatur, dein a Patrum et fratrum consuetudine et colloquio, si ad domum novitiorum traducatur, si ad hospitale mittatur vel ad peregrinationem, postremo si ad tempus vel a domibus vel a collegiis Societatis expellatur; ne de aliis dicamus, quae solent esse quotidianae et quae praeterea sitae sunt in arbitrio Generalis, et aliorum ex commissione. Ad has poenas obligat Societas, non ad culpam; non tamen ius commune propterea abrogat, in quod impingere continget alioqui eum, qui regulas nostras non custodit, quod ex D. Thoma confirmari potest 2. 2. q. 186. ar. 9. ad 1.

Nisi Superior. Sic enim exponitur: Superiorem velle obligare ad peccatum. Verum hoc velle non debet Superior, nisi in re gravissima, et in qua sit periculum apertum mortalis peccati, vel insignis detrimenti, si ita non praecipiatur; ad veniale autem peccatum poterit et facilius et frequentius obligare. Sed cui ex praedicta formula praecipitur, nisi declaratum ipsi fuerit quo pacto obliget Superior, semper existimare debet se obligari ad mortale, nisi aperta coniectura colligat, vel ex modo praecipiendi, vel ex rei conditione, vel alio quovis signo eam non esse obligationem ad

mortale. Esset vero commodissimum, si Superior explicaret rationem obligationis, ne quando fieret, ut quem nolit ad mortale obligare, is tamen peccet mortaliter propriae conscientiae existimatione et culpa.

Ficri poterit et debebit aliquando.

IN PRIMUM CAPUT SEPTIMAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Dum dividuntur per Christi vineam. Haec distributio professorum et coadiutorum fiet quidem ad domos professorum fundandas, vel etiam collegia, vel probationum domos in primariis civitatibus, vel etiam magnis et frequentibus oppidis: tamen ad finem illum magnum Societatis semper spectandum et contendendum erit; qui non tantum est, ut nostri in domibus habitent, et inde civitatem vel oppidum vel etiam finitimos pagos iuvent; sed ut peregrinationibus professi et coadiutores exerceantur, quae ex missione vel Summi Pontificis vel Superiorum nostrorum suscipiuntur, ut subsidium animabus feratur ubiubi, quacunque occasione, quacunque causa, auxilio spiritus opus erit; sive ad idololatras mittamur, sive ad Mahometanos vel haereticos, sive ad Christianos, qui penuria pastorum vel negligentia pereunt, vel periclitantur.

Ex inferioribus. Generali scilicet; non igitur interdicitur, quin Generalis agere cum Pontifice Summo possit, ut alium aliquo mittat.

Qui magis convenire. Quo etiam numero sint mittendi.

Convenit plurimum. Haec plurima convenientia nihil est aliud, quam moralis quaedam necessitas.

Ad tres menses. Concessit facultatem simpliciter Praeposito Generali Paulus III. ut quos Summi Pontifices mitterent absque certi temporis limitatione, eos Praepositus ad alia loca transmittere posset, si ita expedire ad Dei gloriam et animarum salutem videretur. Haec facultas hoc loco sic ad tres menses circumscribitur, ut libertas detur illud tempus breviandi et augendi; tametsi intelligimus longe difficilius breviari posse quam augeri.

Iuxta Superioris arbitrium. Generalis videlicet Praepositi, qui id per alios item praestare poterit.

Intra annum. Nihil erit quod annus expectetur, sed primo quoque tempore erit Summus Pontifex adeundus, ne actualis illa directio Summae Sedis nobis aliquo pacto deesse videatur. Neque vero propterea ita enunciamus, ut tardiores hac occasione reddantur Generales Praepositi; sed ne quis scrupulus ingeri illis possit, si difficultas aliqua aditum diutius interpellaret ad Summum Pontificem.

IN SECUNDUM CAPUT SEPTIMAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Iuxta facultatem. Non intelligimus Praepositos iure suo, qua Generales sunt, non habere facultatem mittendi suos in ministerium; sed duo hic significamus iuxta diplomata confirmationis Iulii III, et facultatum Pauli III. Unum est, quod ad Summum Pontificem prin-

cipaliter pertineant missiones nostrorum; non ex iure eius ordinario solum, sed ex privilegio, quo voluit votum quartum nos edere, quasi peculiarem curam susciperet nostrarum missionum Summus Pontifex. Alterum est, quod dubitari quum posset, num Generales Praepositi ordinaria potestate possent ad infideles etiam vel haereticos suos mittere, fuit operae pretium id explicari diserte; quod Paulus III fecit, et hoc loco citat constitutio.

Qui tamen. Tametsi dubitari non potuit, quin in obedientia sint futuri Summi Pontificis; tamen ex plenitudine obedientiae, quod non fuit necessum exponere, non incommode enuntiatum est.

Vel aliorum commodorum. Nihil alios iudicamus, sed ad circumspectionem nostrorum necessario haec indicamus.

Et bonum universale. Non intelligimus simpliciter ad bonum universale esse nobis spectandum, nisi illud sit cum nostri instituti ratione coniunctum. Nam intercedent multa, quae videbuntur et erunt fortassis magis ad bonum universale vel necessaria vel utilia, quae tamen nihil ad Societatem; velut Ecclesiarum gubernationes, et Parochiarum cum animarum cura, gubernatio monacharum, et hoc genus alia; et hoc quidem quum alioqui dubitari vix potuerit, tam luculenter exposuit P. Ignatius. Quum enim quidam magni nominis Doctor Theologus vehementer contenderet ut unus e nostris professis pingue beneficium cum animarum cura acciperet, fructibus cuidam collegio reservatis, et causam adducere se putaret urgentem, quod redundaret illud in bonum universale et Ecclesiae reformationem; magna animi constantia illud

quidem negavit P. Ignatius, et causam illam tam acriter, tam diserte refutavit, ut perspicue intelligeremus ad illud bonum universale duntaxat esse nobis spectandum, quod ab instituti nostri ratione non sit alienum.

Orationibus. Proponuntur orationes, quod omni tempore sit orationum usus, missarum tantum definito.

Sacrificiis. Sacrosanctae missae sacrificiis.

Per quem ille. Qui haec curaret, tum illi quos mittendos curaret, gubernandi sunt.

IN TERTIUM CAPUT SEPTIMAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

N. *In quartae partis caput octavum dictis* — V. *In sexta parte dictis.* Actum est tota sexta parte de iis, quae ad institutionem professorum et coadiutorum privatim attinent; de iis etiam quae publice in auxilium proximorum debeant conferre, secundo et tertio eius partis capite attingitur, nominatim vero quid conferre publice non debeant in proximos. Hoc igitur est cur sexta pars citatur, et tamen de ministeriis Societatis octavo capite quartae partis Constitutionum fusius dictum est. Ego malui exponere quod est in autographo, quam emendare quod fecit postea nova versio.

IN QUARTUM CAPUT SEPTIMAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Quia non solum. Ex primaria scilicet cura in missiones incumbet Societas, ut discurrendo per varia loca quaerat animas, quae pereunt vel periclitantur; sed tamen habebit simul habitationes firmas, domos videlicet et collegia etc.

V. *In domibus vel collegiis.* In domibus quidem professorum erit omnium ministeriorum, quibus ex instituto proximi iuvantur, plenus usus ex professo; in domibus etiam probationis modi fere omnes exercebuntur, ut ex probatione; in collegiis rursus illa eadem praestabuntur a professis, si qui erunt in collegiis, tum a coadiutoribus, ubi a ministeriis collegii propriis erit illis otium. In illis item omnibus exerceri poterunt scholastici post absoluta studia, donec admittantur in professos vel coadiutores. Qui vero in studiis versantur, quoad eius fieri poterit, in his exercitiis non erunt occupandi, quod sexto capite quartae partis Constitutionum statuitur; nisi censeatur huiusmodi esse occupatio, propter quam vel nullum vel exiguum detrimentum studiis afferatur.

Et primo quidem. Primo loco bonum exemplum tam accurate commendatur, quia verbi ministerium et praeire et comitari semper debet. Ex bono enim exemplo singularis auctoritas accedit ministerio, vehemens efficacia; ex malo, vel nullo, vel corrumpuntur

fere omnia vel infirmantur. Exemplum autem intellige non externum tantum, quod necessarium quidem est; sed quod a religiosis virtutibus earumque usu proficiscatur et sit illustre.

Ac virtutis christianae. Et iuxta rationem et propriam gratiam nostri instituti religiose.

Immo magis quam verbis. Curare quidem debent nostri, ut operibus magis aedificent quam verbis; quum tamen utrumque summo studio ac diligentia curare debeant, nec propterea dignitas exempli intelligatur praeferri dignitati ministerii verbi, praesertim divini; sed ita loquimur quod fere fiat, ut exemplum bonum sit difficilius, et in quod minus diligenter incumbere soleamus. Adde, quod exemplum ex bonis operibus emergit, quae unice sunt nobis necessaria.

Iuvatur etiam proximus. Vel ex hoc loco apparet non esse sequutum P. Ignatium ordinem dignitatis in ministeriorum enumeratione. Nam dubium esse non potest, missarum sacrificia longe praestare aliis orationibus; sed datur prior locus orationi, quod omnium sit oratio, quocunque loco, quocunque tempore; non missa.

Pro adversariis itidem. Etiamsi hoc non legamus in exemplari P. Ignatii, legitur tamen in prima editione, et vertitur; quod etiamsi non legeremus, intelligimus tamen ex Evangelio esse pro inimicis orandum, tum omnium proximorum salutem ex instituto procurandam. Itaque locus praetermittendus non est. Videtur enim additus in prima versione ex P. Ignatii traditione. Coniungamus vero adversariis nostris, si qui emerserint, Ecclesiae adversarios, haereticos et omnes infideles, alios etiam quoslibet peccatores, quos amare, quibus benefacere debemus religiose, naturam gratiae

et felicitatis aeternae capacem, vel dona alia Dei, quibus nullus caret, in eis contemplantes; et quo gravioribus erunt peccatis irretiti, eo enixius eorum auxilium procuremus: hoc praeterea sentientes in Christo Iesu, nos cum inimici essemus, Deo reconciliatos esse in sanguine Christi per crucem, et huius reconciliationis in nobis singulari privilegio verbum esse positum. Quocirca nos in ipsius sanguine et cruce nostrum sanguinem fundere, nostram crucem portare debemus pro hominum omnium salute. Breviter, quod nostrae est vocationis proprie consentaneum, pro illis peculiariter est orandum, ad quos iuvandos praecipue missa est tota Societas; ii vero sunt homines quicunque humano auxilio ad salutem coelestem consequendam destituuntur.

N. *Sive aliqui particulares ea petierint* — V. *Sive aliqui ea obtinere.* Possumus quidem polliceri missas nonnunquam externis, sed libere, et nulla obligatione intercedente; eas tamen ex perfectione orationis applicabimus ad id quod e maiori Dei servitio sit, respicientes non ad desideria eorum qui illas petunt, ubi praesertim sunt illa desideria imperfecta; et potius missas pollicebimur pauperibus, qui scilicet non habent unde eleemosynam celebrantibus erogent. Non sunt tamen divites propterea negligendi, modo sciatur vel certo coniiciatur illos eundem numerum missarum, quas ipsis nos pollicemur, per alios pauperes sacerdotes, eleemosynis dispensatis, celebrari curaturos. Cavendum autem illud est accurate, ne dum nos pro aliis dicimus missas, accipiatur eleemosyna a quoquam, etiam in pios usus dispensanda.

Sive pro sua devotione. Ubi est nostris liberum,

missas, quibus velint, applicare; cuius rei facultas frequenter datur, et alias semper est integrum in missa, pro quibus velint, orare. Et tamen nullus e nostris polliceri debet missam se pro aliquo celebraturum, saltem externo, absque licentia Superioris vel generali vel particulari.

Una vel duae vel plures. Numerum definitum curabunt Generales Praepositi praescribere singulis domibus et collegiis, vel eam curam Provincialibus dabunt instructis, quemadmodum numerum illum missarum ipsi in domibus et collegiis definire debeant.

Pro infinita ac summa. Non est temere hic ordo servatus, ut prius infinita diceretur liberalitas Dei, quam summa; significatur enim priorem esse sensum mysticae Theologiae ex negationibus derivatum, quam ex affirmationibus; atque adeo ex negatione et caligine effulgere supercoelestes ac divinas veritates.

N. *Poterit iuvari etiam proximus* — V. *Iuvatur etiam proximus.* Quae sunt hactenus enarrata ministeria, sunt quidem necessaria, et quae religiose ex proprietate nostrae vocationis praestare debemus, sed communia tamen aliis; quae vero hac § et sequentibus describuntur, sunt propria nostrae vocationis, ac gratia propria nostri instituti. Nullus igitur phrasi verborum moveatur, quibus haec proponuntur, quasi ea nobis ministeria leviter praescribantur. Non enim ita est, sed gravissime intelligimus esse commendata atque imperata. Vae enim nobis, nisi in haec ministeria impensius incumbamus in Christo Iesu, qui nos de principali sua misericordia hac vocatione ac gratia dignatus est.

Praecipue in audiendis confessionibus. Sacramenta

enim alia vel simpliciter non potest administrare, ut confirmationis, et ordinis; vel non debet alia quatuor, nisi sicubi abessent Parochi vel alii presbyteri, qui illa legitime ministrarent.

Extra Pascha. Addendum, et in mortis articulo pro viatico, ut est in diplomate Pauli III.

Sua in Ecclesia. Quod fiet ut plurimum; id solum exponitur, non prohibetur tamen ne in aliis Ecclesiis eadem praestemus, ubi res urgeat, etiam ubi non habebimus proprias Ecclesias; quod continget iis, qui in missionibus versabuntur.

Assidue. Haec assiduitas necessaria est, ut non desit concio in Ecclesia nostra singulis dominicis ac festis diebus, ac tota quadragesima; tum etiam, quoad eius fieri poterit, non desit iis diebus lectio sacra pomeridiana. Alia assiduitas non erit perpetua, sed ex arbitrio pendebit Superioris pro rerum necessitate vel exigentia.

Vel aliis locis. Ea sunt xenodochia, carcer, atque alia praeterea loca publica, quae ad docendam plebem videantur idonea.

Exhortatione ad bona opera. In his ministeriis necessario intelligendum illud est, quod ad iuvandos moribundos conferimus; quod in primis et animabus utile et nostro instituto proprium; de quo octavo capite quartae partis Constitutionum dictum est.

Tradendis exercitiis spiritualibus. Quod armorum genus spiritualium experientia compertum est divina esse virtute efficax in primis; quod octavo capite quartae partis Constitutionum dicebatur. Neque vero arbitretur quisque obiter de exercitiis hic referri; penitus enim res nostras si excutiamus, nihil fere occurret exerci-

tiis vel utilius vel efficacius ad viam Domini pure ac sincere capessendam. Itaque vehementer non nos solum, qui ea serio et experti in nobis sumus et aliis diligenter communicamus, sed gravissimi quique ac doctissimi viri, qui illa sunt experti, vel penitus inspexerunt, ea suspiciunt ac venerantur. Illa etiam eximia videtur esse exercitiorum commendatio, quod si qui nobis hactenus sunt adversati, hi cum acriter fuerint commoti adversus Patrem Ignatium nominatim atque exercitia, magnum argumentum dederunt, nihil habuisse Societatem in suo genere melius, quam P. Ignatium et exercitia. Verum, ut semel abigerentur obmurmurationes adversus exercitia, relatum de illis fuit ad Paulum III Pontificem Maximum. Is ex officio, ut rem gravissimam, dedit excutienda ac iudicanda primariis magistratibus, Cardinali Burgensi Inquisitori, Vicario urbis, ac Magistro Sacri Palatii. Hi cum semel atque iterum non vulgariter laudassent, diplomate confirmationis, atque approbationis illa dignatus est prudentissimus Pontifex. Quare nullus est qui adversus exercitia mutire iam possit, absque nota vel suspicione vel haereseos, vel omnino inobedientiae in apostolicam Sedem. Haec sunt exercitia, quae Dominus tunc primum P. Ignatio inspiravit, quum seculum is abiecisset, et Manresae, quod est oppidum interioris Hispaniae in Catalonia, poenitentiae et orationi operam serio daret. Haec in se primum est ille expertus; per haec primos Patres nostros ad renuntiandum saeculo manuduxit; per haec multi alii primarii viri ad Societatem sunt vocati, ad alias religiones item multi, ad meliorem vitae christianae frugem quamplurimi. Haec sunt exercitia, ex quibus magno privilegio intelligitur ac

sentitur in spiritu nostrae vocationis atque instituti propria ac singularis gratia. Postremo si quando, quod Deus avertat, intepesceret Societas, per haec erit ad suam spiritus alacritatem, ad pristinum fervorem ac perfectionem renovanda, ut solent ad meliorem frugem nostri revocari, si qui tepidiores fiunt.

Dissidentes ad concordiam. Est hoc quidem opus misericordiae spiritualis, sed propterea inter corporalia numeratur, quod ita a Societate solet usurpari atque si opus esset corporale; quandoquidem magnam habeat occupationem exteriorem, magnam difficultatem, saepenumero varios incertosque eventus, multum etiam tempus soleat insumere.

Quantum in huiusmodi rebus. Curandum vero diligenter a Superioribus est, ne nostri sedeant domi otiosi; sed ubi non venient ad nos qui iuvari possint, inquirendi sunt per plateas, per portas civitatis, per hominum conventicula, per fora, per Ecclesias, quos possimus lucrifacere Christo; hoc enim, et ex instituto debemus, et illud simul afferet nobis utilitatis, ne cum chorum non habeamus, male audiamus vulgo quod manum ad manum habeamus, et panem pauperum comedamus ignaviter. Solebat enim P. Ignatius et hanc causam adiungere, cur chorum non admisisset Societas; quemadmodum in tertium caput sextae partis Constitutionum est superius annotatum.

Quod fieri poterit. Est hispanice *la parte que se pudiere;* ad verbum, pars quae poterit. Non enim omnia haec ministeria a collegiis exerceri poterunt, neque ex primario collegiorum instituto est, ut in illis omnia exerceantur, sed quoad, et a quibus vel possint vel debeant exerceri; id et in quartam partem est annotatum, et ad principium huius capitis.

Qui talento praeditus. Obiter de hac re dictum est in tertia parte, hic vero quasi suo loco exponitur; unde intelligimus non ad alia solum ministeria nostros a Domino esse vocatos, sed ut scriptis etiam libris subserviant Ecclesiae orthodoxae. Est igitur diligenter observandum a Superioribus, si qui sint qui hanc operam praestare possint pro dignitate, ne et qui idoneus non est frustra operam consumat suam; et qui idoneus est, per incuriam omittat iuvare tam utili ministerio proximum.

In lucem edere non debet. Additur hispanice *scriptum aliquod*, quod omisit interpres, non ad speciem referens, sed ad genus: edidit postea secunda editio. Et ego quidem intelligo non de libris tantum hoc dici, sed in universum de scriptis, quae tam facile nullo examine publicari solent a concionatoribus, et a professoribus Theologiae et Philosophiae, praesertim quum illud interdicat gravissime Concilium Tridentinum, saltem quod ad scripta theologica attinet. Nam illud etiam solet nostris interdici, ne scripta spiritualia suis devotis communicent absque examine et probatione Superioris.

Nisi prius Praepositus Generalis. Plus hoc loco dicitur, quam in priori capite tertiae partis Constitutionum. Illinc enim non intelligimus statui, ut libros a nostris edendos videat, sed ut det examinandos tribus Generalis. Quare hunc locum sic poterimus interpretari: videnda quidem esse a Generali Praeposito quae edenda sint, si ipse videat difficultatem aliquam, vel necessitatem id postulare; alioqui sat fore, si iudicia eorum, quibus librum examinandum commiserit, videat atque ita probet vel improbet, edendum vel supprimendum committat.

N. *Legi et examinari faciat* — V. *Censurae subiiciat.* Det examinandos, intellige, ut est hispanice, et hic et tertia parte: ut intelligamus simpliciter illorum iudicio et censurae rem non committi. Nam illud erit iudicium Generalis Praepositi tandem, praesertim si quid fuerit inter examinatores deputatos controversum, et utcumque sit, erit tamen auctoritas Generalis adiicienda.

IN PRIMUM CAPUT OCTAVAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

N. *Diffusa* — V. *Quod tam seiuncta.* Haberi videtur ratio primariae partis Societatis, quae in missionibus versabitur; tametsi de aliis quoque partibus, sive collegia sint, sive domus, quae in longissimis regionibus sunt, Christo Iesu propitio, erigendae, commode locus intelligitur.

Cum aliquo munere gubernandi. Quamvis ratio collateralis ita, et hic et in Declarationibus, exponatur, quasi solis Praepositis vel Rectoribus adiungendi sint collaterales; poterunt tamen aliis, qui in ministerium mittuntur, dari collaterales.

Seu Rectorem recurrant. Sub Rectoribus intelliguntur qui praesunt domibus probationum, quos sane possumus appellare Praefectos sive Magistros probationum.

Prout eis iniunctum fuerit. Qui mittentur a Summo Pontifice, ii gubernabuntur in negocio missionis a

Praeposito Generali, iuxta quod sciet Summum Pontificem velle; qui a Generali Praeposito, ab eodem; utrorumque tamen curam poterit dare Provinciali ex praescripto. Postremo, quos mittet Provincialis vel gubernandos a Generali acceperit, eorum curam ipse vel per se vel per proximos Praepositos locales seu Rectores exercere poterit. Hi enim, nisi extra ordinem ex commissione, missiones facere non poterunt. In disciplina vero religiosa erit utilius, si gubernentur missi immediate a proximo Praeposito vel Rectore, si longius absit Provincialis.

Qui una vivunt. Una vivere dicuntur non ii solum qui simul in una domo vel collegio habitant, sed qui in missionibus versantur; et omnino quotquot sub obedientia Societatis agunt, una vivere dici possunt.

Descendat. In Domino.

Ad singulares personas. Si quam accipiant alii facultatem; vel intellige per locales Praepositos et alios Superiores descendere facultatis influxum et gubernationis fructum.

Magna ex parte. Est hispanice, *por la mayor parte;* ad verbum, maiori ex parte. Utrumque tamen aliam expositionem non recipit, quam quae traditur in declaratione huius loci; ne quis possit meditari interpretationes ex iure communi, quae nec hoc loco, nec alio quopiam admittendae sunt, ubi praesertim aliquid praeter commune ius habemus; sed sunt nostra a nobis exponenda. Nam ut constat institutum Societatis fere ex privilegio praeter ius commune vel Monachorum vel Canonicorum regularium vel etiam in universum clericorum; ita fuit illi privilegio consentaneum, ut peculiarem facultatem acciperemus nostrum

institutum interpretandi. Sic enim in diplomate confirmationis legimus: Praepositus de consilio consociorum Constitutiones ad constructionem propositi nobis finis conducentes condendi maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habeat, et quae dubia esse poterunt in nostro instituto, hac formula comprehenso, declarandi auctoritatem habeat.

Faciliori utetur commercio. Una est haec, non sola causa. Nam illa est praeterea causa huius residentiae, quod votum habeat Societas, ut obediat Summo Pontifici quod attinet ad missiones; haec vero primaria est pars ministeriorum Societatis, et quasi omnium finis. Quare conveniens est, ne dicam necessarium, Generalem Romae residere, quo possit missiones has commodius iuvare; praesto etiam esse, si quos per ipsum mittere Summus Pontifex velit. Alia est item non vulgaris causa. Nam haec residentia faciet, ut plurimum auctoritate valeat Generalis apud Romanam Sedem et curiam; inde fiet ut facilius continere in officio possit suos, expeditius etiam et utilius gubernare Societatem ac tueri, efficacius tueri Societatis libertatem etc.

Qua iuxta Spiritum Dei. Cum proprietate nostrae vocationis et instituti coniunctum. Non enim quovis usu virtutum contenti esse debemus, sed eo dumtaxat qui nostrae gratiae est proprius. Nam, ut gratiae Sacramentorum suas habent proprietates, ita et religionum gratiae et vocationes; ex qua proprietate sunt exercendae virtutes in Christo Iesu, in quo omnes unum sumus in vestitu deaurato circumamicti varietatibus.

IN SECUNDUM CAPUT OCTAVAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Quae in Congregationibus. Generalibus scilicet, de quibus hoc capite agitur. Nam de Provincialibus cap. prox. dicetur.

In praesentiarum expedire. Ne putes hoc ita dici, quod constituatur, vel statutis temporibus postea vel frequenter esse cogendas Congregationes generales; id non agitur, sed tantum hoc tempore non esse e re Societatis, ut frequenter vel definitis temporibus fiant. Innuitur tamen esse suo tempore considerandum, num in hac re aliquid sit immutandum, ubi vel quae nunc movent rationes, non urgebunt, vel aliae emergent efficaces magis.

N. *A suo officio absolvi.* — V. *Quem cedere officio.* Dicitur cedere officio, quod est hispanice *se puede dexar el cargo,* idest potest dimitti officium, etiam si re ipsa deponatur: non quod eius voluntas necessaria ad depositionem sit, sed est hic locus ex declaratione quinti capitis quartae partis exponendus, qua declaratione statuitur, quo pacto honeste sit officio movendus Generalis; abrogatur enim illi honestius officium, si sua voluntate dicat ipse, dicat etiam Congregatio, illum cedere etc.

Quales essent verbi gratia. Quod primo loco dicitur in diplomate, non posse Generalem nisi ex consilio consociorum facere; hic est primo loco intelligendum, sci-

licet si viderentur addendae aliquae Constitutiones, vel eximendae, vel immutandae: sed quemadmodum de his tractari possit, praescripsit prima Congregatio generalis. Secundo loco, si qua esset domus, quod collegium dissolvendum vel transferendum, ubi id esset positum in facultate Societatis; at congregari quidem propter hanc causam potest Societas, vel iuvare haec causa, ut facilius fiat generalis Conventus alias congregandus; non etiam congregari debet. Nam de hac re poterunt ii, qui ius habent suffragii, consuli absentes, ut 2 cap. quartae partis exponitur. Tertio porro loco, aliae possunt res difficiliores occurrere, in quibus definiendis necessum videatur, Generalem uti consilio generalis Congregationis.

Vel eam rationem procedendi. Experientia compertum est in omni gubernatione eo leges inclinare, eum gustum et modum induere, quem habet is qui praeest, peculiarem; quod, ne quando nocere possit Societati, operae pretium esset, cum Generalis debeat ad unitatem et veritatem instituti, quoad eius fieri possit, partes Societatis omnes conformare, ut ipsius etiam peculiaris gubernandi modus iudicio Societatis saltem sexto quoque anno examinaretur, et ad veram nativamque instituti rationem et unitatem, si opus esset, conformaretur. Hoc vero fieri posset, indicta generali Congregatione, si ante sextum annum non fuisset congregata; in qua Congregatione proponeretur si quid haberent vel Assistentes, vel Provinciales, vel etiam Rectores, vel omnino alii, quod deferri vellent de Generali eiusque gubernatione. Ita fieret, Christo propitio, ut unitas ac veritas instituti conservaretur, nec Societati nocere posset vel perpetuitas Praepositi Genera-

lis, vel tanta potestas, quantam per Constitutiones obtinet. Huic difficultati providit postea secunda generalis Congregatio per missionem procuratorum tertio quoque anno.

IN TERTIUM CAPUT OCTAVAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Professi duntaxat. Quatuor votorum; hi enim soli simpliciter dicuntur professi. Nam qui sunt trium votorum professi, eos appellamus coadiutores professos, vel etiam scholasticos professos, ut est superius annotatum, quod item hic locus confirmat. Nam distinguit professos a coadiutoribus; professi tamen necessario hic intelliguntur quatuor votorum, ut qui soli habeant utrumque suffragium in Generalis Praepositi electione.

Si ita expedire in Domino. Quod semper haud dubie videbitur, tum quod coadiutores de rebus omnibus collegiorum atque Universitatum magis idonei erunt relatores, et consultores fortassis, ut quae ab ipsis tractantur; tum etiam ne omnino a Congregatione generali totus coadiutorum ordo reiici videatur: et quidem huius rei praxim repraesentavit nobis iam prima generalis Congregatio, quae procuratores recepit provinciarum, non quidem ad eas Congregationes, quae habitae sunt ante electionem Generalis Praepositi, in quibus solum agebatur de iis quae ad electionem pertinebant, neque ad electionem ipsam, sed ad eas omnes Congregationes, quae post electionem sunt habitae.

Non itaque infirmi ac valetudinarii. Utrumque

hispanice uno verbo dicitur *(indispuestos)*, idest indispositi; qua voce non tam eos intelligimus, qui graviter decumbunt, neque enim de iis difficultas vel dubium esse poterit, quam eos qui afflicta atque adversa valetudine utuntur, ita graviter, ut laborem itineris, vel negociorum sufferre non possint.

Ut in Indiis. Exemplum est, non circumscriptio locorum remotissimorum; possunt enim alia occurrere praeter Indias quae remotissima iudicentur, ea scilicet ex quibus sex mensibus admoneri, vel venire non possent patres; nec propterea non repraesentabit universam Societatem Congregatio. Nam qui vocari non possunt, ii censentur, iudicio Societatis, suas vices praesentibus cedere; et in hoc iam universa Societas consentit.

Vel eorum qui congregati. Non hoc solum pendebit, quod modo dicitur, sed illa etiam quae de valetudine, ac remotissimis locis sunt dicta. Iudicium enim erit in Congregatione provinciali positum, in qua qui venturi sunt ad generalem Congregationem eliguntur, num sint illae causae, ut aliquis eligi ab ipsis non possit, tum etiam num Provincialis illis rebus impediatur; nam aliis nullus potest. Quando autem harum rerum sit iudicium Generalis Praepositi, non facile apparet. Ipse enim nunquam eliget qui sint venturi ad Congregationem generalem, sed id fieri per provincialem Congregationem, vel per Praepositum Provincialem pronunciabit, quod paulo inferius exponemus. Adde quod absentem de absentibus iudicare erit difficile. Iudicium igitur Generalis hoc erit: praescribet is electuris, quinam his impedimentis detineri vel excusari possint; illi in re praesenti iudicium Generalis, re explorata, conferent ad praxim particulari suo arbitrio.

Quae ad Generalem ipsum. Non tantum ubi agendum est de Generalis abdicatione, sed etiam de rebus quae vel ad eius gubernationem, vel rationem officii, vel omnino correctionem quacunque ratione attinerent; vel si agendum primum esset de ratione et modo electionis, quod observatum est in prima Congregatione generali. Non enim interfuerunt iis Congregationibus, quae sunt habitae ante Generalis electionem, procuratores, sed soli professi electi et Provinciales et Assistentes.

Cum duobus aliis. Professis scilicet quatuor votorum.

Quae quidem congregatio. Ad eligendos hos electores, vel venturos ad generalem Congregationem, fiunt hae Congregationes provinciales; aliam ullam ob causam non est quod fiant. Electio enim Provincialium ad Generalem pertinet ex instituto; negotia omnia, et tota ratio gubernationis ex eodem pendet, ut nihil sit plane cur illae sint habendae Congregationes, atque adeo potius illae rationem gubernationis turbarent. Postea tamen secunda Congregatio edixit per provincialem Congregationem eligendum tertio quoque anno procuratorem etc.

Professi omnes. Etiam si grave videatur, quod professi omnes suas domos sint deserturi, praesertim ubi multae erunt, Christo Iesu propitio, domus professae. Res vero haec ita enunciata esse videri possit pro praesenti Societatis statu, quando pauci sunt professi; consulte tamen ita factum est, ac providenter. Sunt enim praecipua pars Societatis professi. Itaque ad ipsos causae Societatis graviores pertinent. Atqui gravissima est causa, ut eligantur qui sunt electuri Generalem Praepositum, tum legem Societati praescri-

pturi. Quare longe maiorem partem hos esse necessum est eorum, qui intererunt Congregationi provinciali, quae ratio vix obtinere potest in omnem eventum, nisi constituatur, ut omnes professi quatuor votorum ad Congregationem conveniant. Nam accidere posset haud dubie, aliquando plures interesse Congregationi coadiutores, quam professos. Siquidem, ex singulis collegiis sunt venturi duo, Rector atque procurator. Omnes igitur professi convenient ad hanc provincialem Congregationem; non tamen propterea destituentur domus omnibus professis, quod sequenti annotatione exponemus.

Qui interesse poterunt. Poterunt autem omnes cuiusque domus professi, praeter eum qui pro vicepraeposito deligetur a suo Praeposito, consulto Provinciali, ac unum qui concionetur, nisi coadiutor id praestare possit, tum praeter eos, qui necessario in collegiis vel Universitatibus professores agunt, vel omnino occupantur. Illi etiam excipientur qui vel male habebunt, vel in seriis erunt negotiis occupati, sive ubi resident, sive ubi in ministerium missi sunt, ut sine detrimento gravi abesse non possint. Haec vero committet censenda Praeposito locali Provincialis, si ipse absens non confidat satis multa se novisse, unde illud definiat.

Rectores. Sub iis intellige Magistros probationum, si sub Rectorum obedientia non sint.

Tanquam vicarios. Poterunt quidem vicarios mittere Praepositi locales, Rectores, Magistri probationum, non etiam professi vel procuratores. Neque enim de his constare eadem ratio potest; nam hi Congregationum non sunt capita. Eligentur vero hi vicarii, ubi causa erit cur venire illi non poterunt iudicio Congre-

gationis domesticae, ad cuius plura suffragia eligentur vicarii. Convenient autem ad eam Congregationem, praeter novitios et coadiutores non formatos, alii omnes.

Praepositus Provincialis sine congregatione. Etiamsi absque Congregatione Provincialis curare hanc electionem poterit, non tamen intelligimus absque suffragiis eorum, qui essent convocandi, id posse. Non enim est rationi consentaneum, ut voluntate solius Provincialis, vel etiam Generalis eligantur ii, ex quorum suffragiis possunt in generali Congregatione Constitutiones commutari, augeri, imminui, novari; domus, collegia, Universitates dissolvi, et res quaeque gravissimae definiri; breviter tota ratio instituti in aliam transformari. Quocirca si Congregationem non censet esse habendam in Provinciis Generalis, electionem ita intelligemus committi Provinciali absque Congregatione, quemadmodum cum Congregatione committetur. Cum Congregatione enim praesentium suffragia colligit Provincialis, absque Congregatione absentium; tametsi dubium non est quin Generalis sit semper praeceturus, ut Congregatio fiat provincialis ad illam electionem.

Duos ex ea. Professos quatuor votorum. Non enim esset legitima Congregatio, et quae Societatem repraesentaret universam, si praecipua eius pars non constaret ex professis quatuor votorum.

Eligere poterit. Colligendo absentium suffragia, ut expositum est, et ex pluribus suffragiis electionem promulgando.

Pro arbitrio Generalis Praepositi. Censebit scilicet pro suo arbitratu Generalis Praepositus, et praescribet Provinciali, num sit Congregatio cogenda, aliud nihil.

Prout ei videbitur. Hic locus urgere videtur, ut in arbitrio dicamus esse Provincialis, eligere duos illos quos velit, nec hac in re pendere a Generali, sed in hoc positum esse tantummodo, an sit Congregatio cogenda. Nam si dixerit Generalis, non videri cogendam, iam quaesita erit facultas Provinciali, ut eligat quemadmodum ipsi in Domino videbitur. Haec etiamsi vim aliquam habeant, videtur tamen, quemadmodum dictum est, ut non eligat suo solius arbitrio Provincialis, sed colligat absentium suffragia, eorum scilicet qui essent ad Congregationem venturi, ex quorum suffragiis adhibitis eius consultoribus colligat, qui ad generalem Congregationem sint ituri. Res quidem videtur animadvertenda, et ad propriam Congregationem referenda, ut nonnulli alii harum annotationum loci. Et facit quidem difficultas haec, ut nunquam debeat omittere Generalis, quin praescribat esse provincialem Congregationem convocandam ad electionem illorum patrum; quod si non faciat, non immerito suspicio esse posset ipsi cum Provinciali convenire, et Provincialem illos esse duntaxat electurum, quos voluerit Generalis, quod periculo in omnem rerum et temporum eventum non careret. Ita enim fere e solius Generalis Praepositi voluntate et sententia definiretur in Congregatione, nec esset liberum de Generalis actis inquirere, et iudicare, quo nihil fere erit magis necessarium vel utile magis. Haec tamen difficultas est ablata ex formula a tertia Congregatione generali probata.

His tribus. His tribus committit vices suas tota Provincia, solis quidem in electione Generalis; in aliis vero rebus, uni praeterea aut duobus, qui mitti item poterunt.

Quod si praeter hos duos electos. Duo hic eligantur quatuor votorum professi, qui ad Congregationem veniant generalem. Ordinario autem iure nostro iturus ad eam est Provincialis. Praeter hos igitur tres si etc. Et tamen hispanicum exemplar non eget scholio. Nam simpliciter legitur praeter dictos.

Praepositus Generalis. Ubi ipsius auctoritate congregatur Societas, vel Vicarius, ubi propter mortem Generalis ipsi indicit Conventum generalem. Sed illud magis probandum, ut uterque praescribat quidem an sint hi eligendi, electionem tamen committat Congregationibus provincialibus.

Vel Praepositus Provincialis. Ubi videlicet ipsi committeretur electio eorum, qui essent venturi ad Congregationem; sed hoc similiter est intelligendum atque de duorum professorum electione est superius annotatum.

Eodem erit horum. Hi enim erunt etiam inter eos quibus vices suas committit Provincia; sed num in omnibus rebus, de hoc iam dictum est, et rursum in Declarationibus dicetur.

Plures quam duos. Non tantum hoc est necessarium, sed illud potius est animadvertendum, ne duo eligantur, praesertim qui sint suffragium in Congregatione dicturi. Quod si duo eligentur, cogente aliqua necessitate, sit unus trium votorum professus; ne eveniat, ut magna ex parte posita sit Societatis gubernatio, statutorum abrogatio vel institutio, vel omnino negotiorum definitio, non in primaria Societatis parte, sed in inferiori, et in his qui vota solemnia non ediderunt; quae gubernationis ratio infirma est, ne dicatur periculosa.

Ex professis. Professi quidem unicum habebunt suffragium; suum quoque suffragium habebunt coadiutores, si qui Congregationi intererunt.

Solus Generalis duo. Paraphrastice additur solus, quod non est hispanice. Tametsi verum est, Generalem Praepositum habere duo suffragia in Congregatione generali, neminem praeterea. Simul habet Generalis praerogativam, ut, ceteris omnibus paribus, quo ipse inclinaverit, id obtineat. Haec tamen vera sunt, praeterquam ubi in Congregatione ageretur de ipsius abrogatione, vel emendatione, vel si quando in Congregatione generali vellet Societas aliquid illi praescribere. Tunc enim ne suffragium quidem ullum haberet. Caeterum habere Generalem Praepositum duo suffragia in Congregatione generali intelligitur; non ubi cum definitoribus ipse agit de rebus Societatis. Ibi enim unum solum habet suffragium et praerogativam suffragii in paritate, quod in prima Congregatione generali est definitum.

Sed si numerus par esset. Nunquam enim est locus his praerogativis suffragiorum, nisi cum extat suffragiorum paritas et dantur suffragia publice.

Provincialis reliquis praeferetur. Itaque qua ex parte plures erunt Provinciales in suffragiorum paritate, ea obtinebit propter plures suffragiorum praerogativas; si inter illa suffragia, quae praerogativis alioqui vincerentur, Generalis Praepositi suffragium non erit, de qua re sequenti annotatione dicetur. Verum hanc suffragiorum praerogativam non habent Provinciales in electione Generalis Praepositi, sed numero revera opus in ea omnino est, non est satis numeri qualitas.

Et si inter ipsos Provinciales. Si inter omnia suf-

fragia sit paritas, illa etiam paritas addatur, quae e praerogativis Provincialium emergit. Ubi erit Generalis vel Vicarius, ea pars obtinebit, quod dubium esse non potest. Nam adderetur illi parti praerogativa Generalis vel Vicarii. Quod si, ceteris paribus, una plures stent ex altera parte Provincialium praerogativae, ad aliam vero partem accedat Generalis praerogativa vel Vicarii, ibi constat Generalis praerogativam vel etiam Vicarii superaturam. Quid autem, si plures extent Provincialium ex una parte praerogativae, ex altera vero una Generalis, num obtinebit Generalis una praerogativa contra multas diversae partis? Quid si idem accidat de Vicarii praerogativa? Idem videtur de utroque dicendum, unam horum praerogativam superare debere universas diversae partis praerogativas. Ex dignitate enim causatur praerogativa. Dignitas vero Generalis vel Vicarii omnium Provincialium dignitates, ut subditorum, superat.

Ipsius Vicarius. Habebit quidem praerogativam Vicarius in aliis rebus, de quibus ante electionem Generalis agetur; in Generalis electione nullam. Et hoc quidem definitum est in actis prioribus Congregationis primae. Neque unquam habet Vicarius duplex suffragium.

IN QUARTUM CAPUT OCTAVAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Unus ex professis. Vel hinc constat, professos intelligi quatuor votorum, ubi professi simpliciter nominantur. Non enim potest esse Vicarius, nisi qui professus sit quatuor votorum.

In hac parte. Non in hac parte solum, sed ad gubernandum etiam vicario iure Societatem; quemadmodum et hoc capite declaratio exprimit, et generalis prima Congregatio rursum definivit.

Nominaverit. Designaverit atque elegerit. Ita vero enunciatur, ita in Declarationibus, ut intelligi necessum sit, ex officio debere Generalem ante mortem suam Vicarium sibi substituere. Itaque Generalis sanus ac valens deberet, orationibus ac sacrificiis adhibitis, apud se definire quem sit electurus in Vicarium, ne si oppressus morbo id cogatur facere, electionem faciat infirme consideratam, ac fortassis non satis consultam: et quidem, superstite Generali, nihil, ne nomen quidem, erit Vicario reliquum atque adeo erit integrum Generali alium eligere, et debebit eius esse nomen occultum. Eligendus igitur videtur a Generali Vicarius, nisi subito aliquo casu oppressus id praestare non posset.

Ut plurimum unus ex eis erit. Lex datur Generali; ordinario enim iure nostro eligere ex iis Vicarium debet, qui cum illo vivunt, et illum iuvant. Hi autem sunt Assistentes, Secretarius, Procurator, dein Generalis confessarius, et admonitor, minister domus, siquidem erit professus, tum alii domestici professi eligi poterunt. Porro quod dicitur ut plurimum, et est hispanice communiter, id intelligitur ex eo quod statim subdit vel certe ex his etc.

Vel certe ex his. Ubi scilicet nullus esset professus cum Generali, quod vix unquam erit. Nam vivet fere Generalis in Domo Romana, ubi Assistentes et primarii alii professi illi aderunt semper.

Huius officium erit. Quasi dicat, in huius officio erit Societatem etc. est enim pars haec officii Vicarii,

non totum officium. De eo autem officio quaesitum est in Congregatione generali, ac de Vicarii electione et potestate. Nominatim vero quaesitum est, quinam reputari debeant vicini, ut ad Vicarii electionem vocentur; et an solum ad convocandam Congregationem ius habeat, an etiam ad Societatem gubernandam Vicarius. Respondit autem Congregatio, officium Vicarii non tantum ad convocandam Societatem, sed ad gubernandam etiam se extendere. Reliqua commisit quatuor Patribus, qui officium Vicarii conficerent, ac reliqua tractarent; de omnibus vero ad Congregationem referrent. Sed nil horum licuit his patribus facere propter temporis angustiam. Itaque, re infecta, soluta est Congregatio. De his igitur, ut in scholiis, nihil oberit attingere. Nam principia dedit Congregatio, unde Vicarii officium colligi possit. Gubernaturus enim est Vicarius Societatem universam: verum ita est illam gubernaturus, quasi Vicarius Praepositi demortui, non quasi Praepositus. Quare illam ita gubernabit, ut sibi tradita est. Nullam igitur immutabit gubernationis rationem, nihil propriae inventionis inducet, sed ad spiritum ac sensum Generalis se componet, illius compertam voluntatem sequetur, incertam coniectabit. Itaque, quoad poterit, debebit suo ministerio quasi vivum ac praesentem Generalem illiusque gubernationem repraesentare. Hanc autem rationem conferet ad necessariam Societatis gubernationem, ut domus professorum eorumque missiones, collegia, Universitates, domus probationum, harum partium exercitia ac ministeria, personae, breviter omnes patres Societatis, tota Societas conservetur in suo instituto, et in eodem statu rerum omnium, neque Societatem velit Vicarius

novis rebus augere. Satis augebit, si, cum inferiorem habeat auctoritatem, quam Praepositus, inferiorem etiam gratiam ex officio; quem ille statum reliquit Societatis, illum conservet, praesertim quum tam brevi novum Praepositum sit habitura Societas. Quocirca nullum Professum creabit, nullum coadiutorem formatum, nullum scholarem approbatum, nullam novam regulam, nullum ritum, nullam consuetudinem introducet, nullam domum, nullum collegium, nullam Universitatem vel domum probationis novam instituet: quae si offerantur, ita negotium fundationis tractabit, ut quae communia sunt et omni difficultate carent in ratione fundationis, in his, qui volent esse fundatores, eos iubebit omnem dubitationem seponere. Si quid difficile vel dubium sit, curabit eos bene sperare; res tamen tota ad Generalis creationem reservabitur. Interim nihil aliud, quum illorum bona voluntas nutrietur commode. Utetur autem Vicarius eisdem Praepositis, Rectoribus, praefectis probationum ad gubernandam Societatem, quos in Societate comperiet in morte Generalis. Nam ita statuit generalis prima Congregatio. Non expirat (inquit) potestas Provincialium et aliorum officialium per mortem Generalis Praepositi, nec per electionem novi, donec dissolvatur generalis Congregatio. Intelliguntur officiales primarii, non domestici, ac qui subordinati sunt Praepositis vel Rectoribus. Ii enim, ut possunt creari a suis Provincialibus, vel aliis Superioribus, ita, etiamsi non expirent per obitum Generalis, mutari tamen possunt et a Vicario, et a suis Superioribus. Qui creantur a Generali immediate, vel ex eius immediata commissione, ii nec expirant, nec mutari possunt, donec Congregatio sit dissoluta. Non

possunt quidem tunc mutari a Vicario vel Generali Praeposito; possunt tamen a Congregatione generali, ex causa. Commissariorum vero officia cessant, demortuo Generali, quod etiam Congregatio prima statuit. Assistentibus praeterea utetur Vicarius eisdem atque Generalis; eosdem enim Vicarii decrevit Congregatio prima esse quatuor Assistentes, cum eadem scil. auctoritate et officio, qui erant Generalis, vel reliquos, si unus ex ipsis eligetur Vicarius. Procuratore, Secretario, omnibus ministris, quibus utebatur Generalis Praepositus, utetur Vicarius. Ita fiet, ut facilius ac certius conservet rationem gubernationis Praepositi demortui. Haec de gubernatione Societatis sat sunto. Alia pars officii Vicarii pertinet ad congregandam Societatem; et quidem praecipuam hanc esse partem officii insinuant Constitutiones, quae hanc facultatem tam abunde tradunt; de gubernatione vero Societatis uno verbo transigunt, et id quidem in Declarationibus. In hac igitur parte officii, quid sit, id explicat proximum caput cum suis declarationibus, ubi si quid occurret, annotabitur, Christo propitio. Illud tamen hoc loco non est omittendum, Vicarium, antequam sit congregata Societas, potestatem habere qua possit solus iubere, quae ad convocationem attinent iuxta Constitutiones. Solus tamen non potest prorogare tempus Congregationis, ut decretum est in actis posterioribus primae Congregationis, et proximo capite explicabitur. Postquam autem sint Patres congregati omnes vel eorum maior pars, solus non poterit ea, quae ad electionem attinent, definire. Sed si quid emerget dubii vel difficultatis, id erit per Congregationem terminandum; executio vero ad Vicarium pertinebit. Nihil

autem agetur in Congregatione ante electionem Generalis, nisi quae ad illam spectabunt, et quidem necessario. Itaque gubernabit Societatem et singulos etiam Patres congregatos Vicarius ante electionem suo iure. Porro quod quaesitum est de Vicarii potestate, ex superioribus constat. Quod autem de eius electione, et quinam reputari debeant vicini professi ad eius electionem congregandi; partim dictum est, partim in annotationibus declarationum huius capitis dicetur. Est postea editum Vicarii officium a secunda et tertia Congregatione generali.

Gravioribus quam ut. Tametsi iudicium ferre est Congregationis, quaenam sint illa, de quibus Generalis Praepositus agere absque Congregatione possit, et liberum sit Generali ad Congregationem, de quibus velit, referre; multa tamen sunt, quae Congregatio sola possit. Praeter haec, igitur, in aliis moderatione utetur Congregatio, ut sua Generali Praeposito agenda ac definienda relinquat. Vicissim Generalis sua etiam, praesertim graviora, ad Congregationem referet, si qua praesertim maiori, quam sua, censebit auctoritate firmanda.

IN QUINTUM CAPUT OCTAVAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Videtur ordinarie. Lex datur Societati, ut sive Romae moriatur Generalis, sive alibi, Romae tamen fiat novi Generalis electio. Nam quae extra ordinem fiunt, ea lege comprehendi non possunt. Et tamen explicatur statim, cur dicatur ordinarie; nisi (inquit) Societas etc.

Nisi Societas. Hoc est vel Congregatio ipsa generalis, vel Vicarius, Assistentes et Provinciales. Nam hoc bifariam accidere potest. Posset enim locum alium Congregatio aliqua generalis ad plura suffragia designare, qui commodior ad Conventum agendum videretur, ut si in confinio provinciarum urbs aliqua celebris designaretur, ubi fierent Generalium electiones: quod illo etiam nomine non esset fortassis alienum, ne si electio semper Romae transigatur, eius rationem ac modum interpellari contingeret vel a Cardinalibus vel etiam a Summo Pontifice, praeter nostrorum privilegiorum formulam; ne praeterea Romae accipi posset aliqua ambitionis occasio. Potest item pro re nata locus mutari ad singularem aliquam necessitatem, ut si propter bellum vel pestem vel aliquam aliam causam videretur necessarium, vel apprime consentaneum, ut alibi ageretur Conventus aliquis, et electio fieret. Has vero causas primo animadvertet Generalis Vicarius, et Assistentes, et locum alium per sua statim suffragia designabunt, atque significabunt primis litteris, quae dabuntur ad Provinciales. Provinciales autem, acceptis eorum suffragiis, sua confestim mittent ad Vicarium, et quidem diligentissime; qui absque mora ulla locum eliget illum cum suis Assistentibus, quem plura suffragia designaverint, quem Provincialibus primo quoque tempore significabit. Interea fient Congregationes provinciales, eligentur conventuri ad Generalem, component se omnes ac parabunt ad iter, et expectabunt litteras Vicarii, quibus locus denuntietur. Quod si Congregationem contingeret evocari propter delationem Generalis, videntur eo esse evocandi Patres, ubi erit Generalis Praepositus, qui con-

veniendus est iudicio Societatis, et iudicandus; tametsi in hoc quoque eventu alibi congregari possit, et eo vocari Generalis, praesertim si is gratia valeret, ubi habitaret.

Eius erit. Qui tamen non facile debebit discedere ab ea lege, quam Constitutiones dant Societati ipsi de loco designando.

Quinque aut sex mensium. Ad quinti mensis finem videntur, hoc tempore, convocandi Patres, quum, qui longissime absunt, sint Lusitani. Ad finem vero sexti mensis erunt omnes expectandi; quo transacto, si qui non pervenissent, praesertim si non magno numero, posset absque illis agi Conventus. Tametsi facultatem dedit tempus prorogandi Congregatio prima generalis.

Quo litterae. Illas vero statim curabit scribendas Vicarius post suam electionem; inquiret enim Congregatio, et iudicabit, si per ipsum steterit quin statim convocetur Societas.

Prorogari tamen. Per quem? Id dixit Congregatio prima generalis. Ubi enim quaesitum de prorogatione est, ita respondit in actis posterioribus: Constitutiones, quod ad tempus hoc attinet, esse servandas, et si prorogatio esset facienda, per Vicarium fieri debere et Assistentes ad plura suffragia. Si tamen, exacto tempore praescripto, initio venerint aliqui designati ad Congregationem, ut illi etiam suffragium habeant ad prorogationem temporis praescripti; sic Congregatio. Prorogationem igitur intelligimus eius temporis, quod praestituit constitutio, si causae obvenirent urgentes, vel sub illius temporis decursu, vel ubi iam exacto tempore convenissent quidem Patres, sed infrequentes, et qui non essent tam multi, ut ex illis posset legitima

Congregatio constare. Ibi enim vel solus Vicarius cum Assistentibus, vel etiam cum iis Patribus qui convenissent, ad plura suffragia, obtinente Vicario praerogativam suffragii in paritate, prorogari tempus posset. Quum autem periculosum sit diutius esse absque Generali Praeposito Societatem, omni studio et diligentia est providendum, ne ad has prorogationes veniendum sit: et tutius fortassis esset, si, ubi prolixius esset prorogandum a Vicario tempus, id ratum non esset, nisi maior pars Provincialium in eandem sententiam venirent.

Tempus designabit. Atque etiam prorogare poterit.

Cuius est hoc munus. Is erit Vicarius, ubi per mortem Generalis erit alius eligendus; ubi vero de delatione Generalis erit agendum, erunt Assistentes, vel omnino Provinciales, se suosque invicem convocantes; in aliis Congregationibus erit Generalis ipse Praepositus.

Et si qui ex professis. Quinam vel convocari debeant vel possint, sive ex professis, sive ex coadiutoribus, annotatum est diligenter in tertium caput Constitutionum et Declarationum huius partis; neque aliud intelligatur hic significari.

Ubique missae. Hic locus explicatur ad finem huius capitis, ubi de eadem re agitur.

Si ipsi soli. Hoc quum non possint, nisi illis id concedat Generalis Praepositus, sit autem Generali liberum, illud non concedere; multae vero ac gravissimae quidem causae sint, quapropter non debeat illa electio solis concedi Provincialibus, e quibus aliquas secundo capite huius partis attigimus; fit ut omnino a Generali illud non sit concedendum Provincialibus. Haec difficultas mota est a tertia Congregatione ge-

nerali, de qua tamen videtur esse statuendum in proxima.

Professos. Omnes scilicet, ut dictum est tertio capite et expositum.

Et locales Praepositos. Tum etiam Procuratores; nam hi simul nominantur superius capite tertio.

N. *Qui venire possint* — V. *Qui venire sine magno incommodo.* Hic est hispanice simpliciter, qui venire poterunt; subditur tamen qui non incommode ad Congregationem venire poterunt, quod ita intelligimus: excusari quidem posse, Provincialis iudicio immediate vel etiam Congregationis domesticae, eos qui male habebunt, vel qui magnitudine aliqua negocii spiritualis vel pii occupabuntur, vel qui necessarii iudicabuntur ad ministeria domorum vel collegiorum; reliqui omnes sunt convocandi. Rectores tamen, Praepositi locales, praefecti probationum, et procuratores substituere poterunt vicarios, ut expositum est superius tertio capite.

Minus detrimenti. Videtur hoc aegre posse constare. Nam fere iidem erunt, quos expediat magis Conventui interesse, et ex quorum absentia maius obveniat Provinciae detrimentum. Quare locus non aliter videtur interpretandus, quam, ut ex superiori capite tertio colligi debet, ut qui illic legitime impediuntur, vel negocia gerunt ex instituto, quae absque gravi incommodo destitui non possunt, ii non eligantur; sed e reliquis selectissimi quique. Quod si quis commodissimus sit ad Congregationem, tametsi gravius illius absentiam sentiat Provincia, erit universalis Societatis utilitas particulari praeponenda; nisi aeque idoneus ad

Congregationem aliquis occurreret, ex cuius absentia minus detrimenti sentiret Provincia.

Quam primum poterunt. Ii quidem qui longissime absunt, quamprimum poterunt, iter aggredientur. Reliqui ita attemperate poterunt iter ingredi, ut tempestive ad locum Congregationis perveniant. Ita fiet ut ne diutius otiose expectent Romae, qui non longe distant; simul non destituentur operariis domus et collegia, nisi necessario tempore.

Relictis in suis Provinciis Vicariis. Hic locus aperte innuit, quod superius est annotatum; Provincialium esse electionem Vicariorum sui officii. Quod si eligeretur iturus ad generalem Congregationem is, qui officio alio fungeretur, ut Praepositus domus professae vel fortassis collegii Rector, vel probationis Praefectus, qui aliquando solent esse professi; ibi Vicarium non hi substituent sibi, sed illis Provincialis.

Curabunt praeterea. Ubi primum obitus Generalis certo intelligetur, primaria erit omnium missarum atque orationum applicatio pro Congregatione generali, et electione Praepositi Generalis. Adiungetur item applicatio pro provinciali Congregatione, pro Patribus, qui erunt in itinere; breviter pro omnibus actionibus et decretis generalis Congregationis. Non omittentur tamen obligatoriae missarum et orationum applicationes, suo ordine et gradu; et si nihil aliud, saltem singulis hebdomadis singuli sacerdotes unam missam et fratres semel suam orationem applicabunt ad illam intentionem, et reliquis omnibus missis et orationibus eiusdem memoriam facient.

IN SEXTUM CAPUT OCTAVAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Si conventus. Haec mihi ratio videtur peculiariter observanda in huius capitis annotationibus, ut rationem quidem eorum habeam, quae in actis prioribus primae Congregationis generalis tam diligenter de tota ratione electionis sunt dicta: non omittam tamen, si quid praeterea videatur annotatione dignum, tum in Constitutiones ipsas, et Declarationes, tum in illa ipsa acta dicere. Neque verebor liberius, si quid forte occurrat, de illis actis iudicare; quandoquidem, ubi de eorum auctoritate in actis Congregationis posterioribus ageretur, decretum est, ea non obligare in futurum, sed esse seorsum scribenda, ut illis uti possint Patres, si volent. Verum habenda necessario est ratio eorum, quae de his rebus dixit tertia generalis Congregatio.

Simul atque omnes convenerint. Non est hispanice *omnes*, sed simplex, *ubi convenerint;* quod est intelligendum, ubi qui ad electionem habent suffragium Patres convenerint. Et si quidem ad praescriptum tempus omnes adsint, ipso facto erit legitima Congregatio, nec amplius expectandum; sin aliqui deessent, et dubitaretur, an legitima esset Congregatio, iudicium eius rei erit Vicarii, Assistentium, et Patrum eorum, qui convenerint, num sint alii expectandi, an omnino absque illis censeatur esse legitima Congregatio, quemadmodum actum est, in prima Congrega-

tione generali. His rebus igitur definiendis erit per Vicarium insistendum sollicite, ut nulla mora intercedat, quin, ubi primum legitima sit Congregatio, ad electionem procedatur. Illud autem non videtur praetermittendum, ut canones illi duodecim, qui praefiguntur actis Congregationis prioribus, singulis Patribus, quum primum ad locum Congregationis venerint, exhibeantur, quos diligenter curabit Vicarius observari. Et utilius quidem esset, atque adeo necessarium, ut singuli Provinciales canones illos suis electoribus communicarent, statim atque erunt in Congregatione provinciali electi, et illos observari iuberent accurate. Illi tamen canones sunt praetermissi in secunda Congregatione generali.

Quatuor dies ante. Ante hoc quatriduum, congregatis Patribus, proponet Vicarius, an videatur legitima esse Congregatio etc. quemadmodum superiori annotatione est dictum. Hoc ubi fuerit definitum, esset vocationi nostrae et devotioni erga Sedem Apostolicam consentaneum, ut omnes electores cum Vicario ad pedes adirent Summi Pontifici, et accepta a Christo Iesu et a B. Petro, tum ab eodem Christi Vicario benedictione, maiorem lucem ac devotionem acciperent ad electionem rite et perfecte peragendam in Domino. Quod si omnes non irent Patres, illud non esset omittendum, quod prima sessione ante electionem a Patribus responsum et factum est, ut Vicarius cum aliquo Patre illam petant benedictionem nomine Congregationis. Deinde eligentur ad plura suffragia Secretarius, et Assistens, ministraturi ad electionem. Eligetur qui sit habiturus concionem in loco electionis; qui Patres inclusurus, et custos futurus conclavis; locus praeterea

designandus et parandus, ubi sit electio peragenda; examinanda decreta, si quae ante Generalis Praepositi electionem de ratione electionis sint edita, sed non confirmata, quod necessum est fieri ante secundi Generalis Praepositi electionem. Si quid videbitur praeterea necessario parandum ad electionem, rite de eo agendum erit; nullum aliud negocium tractandum. Breviter ita res omnes parentur antea, atque expediantur, ut nihil aliud toto quatriduo Patres, quam orationi et informationibus vacent in Domino. Caeterum quod dicitur quatuor dies ante etc. intellige quinto die proximo peragendam esse electionem. De his omnibus fere agunt editi canones in tertia Congregatione.

Horteturque. Hac oratione Vicarius complectetur omnia, quae ab electoribus sunt ad sinceritatem ac perfectionem electionis observanda; ita tamen circumspecte dicet, ut nulla inclinatio in eius verbis ad aliquem unum animadverti possit, tota vero exhortatio ad spiritum attineat; propriam rationem gratiae et vocationis nostrae, propriam finis rationem, ac rei magnitudinem ob oculos ponat, ut intelligatur quanti intersit, quam integerrimam fieri electionem, et omnium animi ad suffragia ferenda purissime parentur.

Et praeter hunc diem. Hoc quinto die et tribus reliquis toti in hoc erunt, ut se digne Deo parent ad electionem.

Ut se Deo commendent. Suo decreto egit de ratione huius spiritualis praeparationis Congregatio prima in prioribus actis; quibus non incommode videretur addendum, ut instituatur et domi et in collegio oratio ad Deum continens omnibus horis, praeterquam iis quae somno dantur, ut semper aliqui orent in sacello,

recitent Psalmos, addant etiam orationes accommodatas; ieiunia simul, et flagellationes ita distribui possent, ut semel omnes illo triduo ieiunent, semel etiam corpus flagellent tum domi, tum in collegio.

Quisnam. Professus quatuor votorum.

Ex universa Societate. Nimirum ex absentibus eligi potest Generalis; tametsi magna sit futura incommoditas, si absens eligatur. Nam vel erit necessum, ut confestim Romam ille advocetur, et sedeat otiosa interim tota Congregatio; vel ut statim itineri omnes Patres se accingant et ad eum veniant. Nam semper erit necessum post electionem Generalis de multis rebus agi, de quibus nihil confici, ac ne agi quidem potest, absente Generali Praeposito. Longe vero esset incommodissimum, si ex Indiis aliquis Pater eligeretur. Inde enim etiamsi simpliciter eligi possit, nunquam tamen eligetur, cum intolerabile sit futurum, si tam diu esset Generalis expectandus, donec ex India evocaretur.

Maxime idoneus. Magis conveniens est hispanice, quemadmodum paulo inferius iurant electores, se eligere magis idoneum. Utrobique tamen est intelligendum, ut Congregatio prima exposuit in actis prioribus, eum esse eligendum, quo nullus videatur idoneus magis. Itaque si qui viderentur aeque idonei, unus si eligatur ex iis, erit conscientiae electoris satisfactum.

N. *Informationem capientes.* — V. *Certiores reddi.* De tota ratione informationis diligenter dictum est in actis primae Congregationis prioribus, quibus tamen addi nonnulla fortassis possent. Primum, quod superius attigimus obiter, ut simul atque erunt designati electores in Provinciis, duodecim illi canones, qui actis

prioribus primae generalis Congregationis praefiguntur, ipsis exhibeantur, quos et Provinciales observent, et praecipiant, curentque a suis observari. Et illud in primis, ut ne agant de electione, nec informationem accipiant, vel dent, antequam ad Congregationem veniant, totumque informationis negocium reservent in quatriduum ante electionem. Et qui hoc non observet, de eo ad Congregationem referatur. Esset praeterea utile, ut legerent electores ea, quae constituerit Societas in Congregationibus de ratione electionis; eo tamen tempore singuli secum quidem agere possunt, et disquirere in corde suo, qua via, quam purissime se se disponant ad electionem peragendam in Christo; poterunt item conferre singuli intra se, quinam ex omnibus quatuor votorum professis ad munus Praepositi Generalis esse possit vel idoneus, vel quo alius magis idoneus non sit, nihil definiendo, non solum cuinam sint suum suffragium daturi, sed ne de notitia quidem earum rerum, de quibus in quatriduo informationis interrogandum est, statuent. Huius enim notitiae definitionem reservabunt in ipsum quatriduum; cui vero suffragium sint daturi, in tempus inclusionis. Itaque tempus informationis activae, tam passivae, solum illud erit quatriduum; quare nec ante illud quisquam petere vel dare potest informationem, nec post illud. Reliquus enim dies quintus ad definiendum datus est, ac danda suffragia. Iam vero cum debeant informationem petere, a quibus, de quibus personis, quibus de rebus, quomodo debeant petere, postremo quemadmodum illam dare, de his dicta in actis prioribus primae Congregationis recte quidem habent; sed tamen in responsione ad secundum videtur addendum:

ut eligat quivis a quibus informetur, magna simplicitate cordis, optima fide; et ab illis informationem accipere non praetermittat, quos arbitrabitur vel suspicabitur quoquo pacto ad alium fortasse inclinare, quam ipse inclinet; et tutius quidem futurum est, si ab omnibus electoribus accipiat. In responsione ad tertium, illud animadvertendum, quanta sit futura incommoditas, ut superius attigimus, si longe absens eligatur Generalis, praesertim ex Indiis. In responsione vero ad quartum, advertendum est, interrogatorium illud non esse necessario observandum; interrogari tamen necessum esse ex secundo capite nonae partis, ex secundo et tertio Examinis, et primae partis, ut statim post interrogatorium ipsum dicitur: liberum tamen, atque adeo necessarium esse, ut singuli interrogent, si quid videatur sibi praeterea interrogandum, praesertim si quid de aliquo dubitant, qui alioqui videretur esse idoneus, tum ut petant, si quid sciant informatores, quod in alterutram praeterea partem informationis spectet. Item an de alia persona censeant esse informationem capiendam; postremo an ab alio quopiam possit vera accipi informatio. Videntur autem electores hoc loco admonendi, ut magna animi puritate ac simplicitate, simul magna diligentia ac solertia investigent eum qui illis careat, quae notari videntur in Examine, vel Constitutionibus, vel ex probata Societatis consuetudine, et communi consensu; tum in iis virtutibus excellat ac facultatibus, quae nona parte in Generali Praeposito desiderantur; illud etiam animadvertant, quod est in primis necessum intelligere, an virtutes omnes habeat qui sit eligendus, facultates, consuetudines, inclinationes ad propriam

rationem gratiae nostrae vocationis ac instituti accommodatas, et hanc rationem penitus imbiberit, ac cordi suo impresserit, et operibus ac ministeriis expresserit; facultatemque an habeat eximiam in spiritu Societatis in Christo, tum speculativam, tum practicam, qua facultate, et intelligere Societatis gratiam, vocationem, finem, institutum, partes, ministeria, officia perfecte possit; et efficaciam habeat praxeos non exequutivae tantum ac ministerialis, sed ordinativae, praeceptivae atque architectonicae, in sancta solicitudine et efficacia, fortiter ac suaviter in Christo Iesu. Responsioni ad quartum et quintum addendum est, ut animadvertatur attente, ne naturalis inclinatio vel affectus vestiatur recta aliqua vel spirituali ratione; quod etiamsi nihil videatur habere, quod iure reprehendi possit, et recta ratio naturalis iuvanda sit humana ac divina ratione, magnum tamen in hac re potest versari periculum, cum interpretamur tentationem mentis nostrae, vel aversionem naturalem ab alicuius natura vel etiam actionibus, rectam rationem naturalem, et eam depingimus veris coloribus, vel potius fucamus. Quocirca erit operae pretium illam naturalem inclinationem, praesertim si aliqua ex parte suspecta esse possit, ad arbitrium confessarii, mortificare per sacrificium Missae, per orationem, per poenitentiae opera etc. Quod si pergat esse molesta, saltem, illa seposita constanter, sic reliqua adhibeantur consilia, ut ab illa nihil influxus, nihil motionis accipiant electores. Virtutes vero, quae ad hanc rationem petendae, dandae, utendae informationis sunt necessariae ac peculiares, eas oportet perfecte exercere in spiritu vocationis nostrae; quo in genere sunt charitas tota sua amplitudine, vivide autem

in finem Societatis exerta; dona Spiritus Sancti, et duae beatitudines, esuries videl. et sitis iustitiae ac cordis munditia; humilitas, simplicitas, prudentia, et eius partes, quales sunt memoria, ratio, intellectus, docilitas, solertia, providentia, circumspectio, cautio; addantur eubulia, synesis et gnome, rectum scilicet consilium, rectum etiam iudicium; quibus omnibus oratio coniungatur toto suo ambitu in Christo Iesu. Sunt autem in hac ratione informationis multa difficilia, ut nihil est perfectum, quin sit idem difficile; sed illud inter cetera et difficile est, et periculi plenum, quod videatur necessum omnia vitia, omnes defectus sive naturales, sive voluntarios et secretos publicari inter electores: nam necessum est non ea solum enuntiari quae publica sunt, sed quae secreta alio quovis secreto, quam sacramentalis confessionis. Secretum enim illud si retineretur, contra maiorem charitatis obligationem pugnaret, contra scilicet eum charitatis affectum, quo Societati universae obligamur, cui cedere debet charitatis ille affectus, quem debeo privato homini; praesertim quum nullus vivat in Societate, qui non boni debeat consulere ex ratione Instituti, ut sua quaevis vitia vel defectus, a quocunque sciantur aliter quam in confessione, manifestentur Superioribus. Sic enim traditur quarto capite Examinis; summum vero locum in Societate tunc obtinet Congregatio ipsa. Quare nullus est, qui non possit ea, quae extra confessionem sacramentalem secrete novit, coëlectoribus enuntiare; nullus est qui non debeat, praesertim ubi res eiusmodi sit, quae ad veritatem atque integritatem pertineat informationis: nam quod singulis electoribus dicitur, id Congregationi dictum existimari

debet. Cum haec ita habeant, magna est districtione praecipiendum, et quidem in virtute sanctae obedientiae, quod ex parte factum est postea in secunda Congregatione, et in tertia, ut quae quis dixit, vel audivit in informatione, ea nulli prorsus enuntiet, nisi forte Superiori sit dicendum iuxta Societatis Institutum: et placeret quidem esse casum reservatum. Nisi enim firmissime sanciatur, et observetur diligentissime secretum in iis, quae necessario sunt manifestanda, ut pura sit et sincera electio; fiet ut vel multi deterreantur a veritate informationis, vel omnia rumoribus, vel infamiis Patrum compleantur; quos rumores et infamias in Societatem redundare necessum est. Quod vero in summario formulae electionis, quod subditur in actis prioribus Congregationis, si quis in illud incideret, legitur: servandum esse in informationibus non solum confessionis sigillum, sed secreti; auctoritatem non habet. Nam cum in titulo illius summarii dicatur, illam esse formulam desumptam ex Constitutionibus et ordinationibus Congregationis; compertum tamen est nullibi dixisse Congregationem ea, quae secreto extra confessionem sciuntur, non posse enunciari etc. Adde quod acta priora Congregationis non obligant; minus vero ea, quae ex actis ducta esse dicuntur, ut quae ne in illis quidem actis prioribus sint approbata. Reliqua, quae ad informationem pertinent, proxima electione, petantur ex actis prioribus primae Congregationis, neque quidquam addatur facile vel mutetur ante electionem, ne tempus teratur, tum ne impuritas aliqua irrepere possit electioni. Postquam vero sit Generalis electus, omnino videtur agendum de illis actis prioribus, et statuenda tota ratio electionis universae Socie-

tatis auctoritate. Actum postea est in secunda Congregatione generali de actis prioribus primae ante electionem; actum tandem in tertia, et edita decreta, quae in futurum obligent.

Donec tamen. Sapienter hoc statutum est, primum ne gratiam Dei praevenire videamur, ac Christum praecedere, non sequi. Nam tempus inclusionis solum datum est definitioni, quatriduum informationi; ex qua ratiocinari quidem poterimus, quasi principia parantes, quibus principiis, inclusi, uti poterimus in Domino. Si quod igitur interea urgeat iudicium, illud suspendendum est; si qua inclinatio ad unum magis, quam ad alium, illa mortificanda; perfecte vero reformanda definitio pura in tempus inclusionis.

Hoc medio tempore. Quatriduo scilicet illo, quod datur informationi et orationi. Hoc igitur tempore praesertim teneatur unusquisque etc. Itaque locus non erit delationibus huiusmodi in loco inclusionis; sed cum Patres includuntur, censentur omnes esse legitime admissi. Est enim, quod inferius hoc capite praecipitur, servandum silentium in loco inclusionis constantissime. Poterit autem hoc facile observari. Nunquam enim erit necessum, ut diutius inclusi sint electores; quod inferius hoc capite erit compertum. Hoc igitur medio tempore omnia expedientur, quae faciant ad electionem legitime peragendam in Domino, ut nihil aliud in conclavi fiat, quam ut per orationem ferant suffragium Patres, nulla nova accedente informatione, nullo colloquio, nulla inquisitione, vel delatione. Quidnam vero aliud hoc quatriduo praeterea sit agendum, id dixit Congregatio in actis prioribus.

Sub poena excommunicationis. Eadem poena voluit

Congregatio prima, quod confirmavit secunda et tertia, complecti eos, qui vel pro se, vel pro aliis ambitiose agerent; et eos item, qui non sincere informationem darent, quod haud dubie intelligitur, ubi peccarent in hac re lethaliter. Quod decretum etiamsi visi sunt Cardinales, quibus commisit Summus Pontifex formulam nostrae electionis examinandam, non probasse; hanc tamen significationem voluntatis Cardinalium ita acceperunt Patres, quasi nos Cardinales non obligarent, nisi prius ad Papam retulissent, et eius sententiam intellexissent; quod quidem factum non est. Non enim retulerunt ad Papam Cardinales. Quod vero Congregatio huius excommunicationis sententiam censuit reservandam Vicario ante electionem, post electionem Generali Praeposito; ita est interpretandum: Si qua praetenderetur excommunicatio adversus aliquem alium et ille se expurgaret legitime, absolutorem illius fore Vicarium, si id ante electionem contingeret; si adversus Vicarium, futurum absolutorem antiquissimum professorum; sin post electionem, Generalem Praepositum; nullus tamen, stante Congregatione, absque illius consensu et auctoritate absolvere poterit.

Vicario manifestare, vel alicui. Vicario quidem, si alius quivis notaretur; sin Vicarius, alicui ex professis antiquioribus; quod exposuit Congregatio prima in actis prioribus, duobus ex antiquissimis professis, vel Provinciali antiquissimo, pro deferentis arbitrio.

Ipso die electionis. Quae sint eo die agenda, ea prudenter statuit Congregatio prima. Interpretatio igitur eorum, quae sequentibus paragraphis dicentur, vel dubiorum, si qua occurrent, dissolutio inde petatur, et ab iis, quae edita postea fuerunt, et confirmata in

tertia Congregatione. Ego tamen, si quid praeterea occurrerit, non omittam annotare.

Cui id officii etc. Eligetur hic quidem inclusor ac custos a Congregatione ad plura suffragia ante quatriduum.

Quod si omnes. Providenter quidem dixit Congregatio prima, atque adeo tres Congregationes, statim post inclusionem esse tentandum scrutinium; hoc est nullum debere tempus intercedere, quasi praestolemur communem inspirationem extra ordinem, vel illi operam demus. Eveniet enim illa, si Domino ita placuerit, praeveniente nos ipsius gratia, quasi obiter; cum simpliciter, quod in nobis est, facimus, nec quaerimus extraordinarias Dei operationes. Itaque statim se dedent omnes orationi, ut legitime suum suffragium ferant. Quod si antequam suffragatio fiat, communem illam inspirationem Deus ingesserit, quis erit, qui digitum Domini impedire possit? Sed nullus tamen de inspiratione interrogandus, nullus nominandus, quasi in illum sit futura communis inspiratio, nihil colloquii pro inspiratione contrahendum; sed extra ordinem illam excitari oportet inspirationem divinitus, adeo luculenter, adeo notorie, ne uno quidem suffragio dempto, ut nulla tergiversatione negari possit a Deo illam provenire inspirationem.

Ex his, quae prius intellexit. Sapienter hoc statuitur. Nam quum tres sint modi electionum traditi a Patre Ignatio in exercitiis spiritualibus, primus exprimitur praecedenti §, ubi de communi inspiratione agitur; duo reliqui intelliguntur hac § praescribi, si primus ille non contingat. Per solas experientias consolationum et desolationum spiritualium est definien-

dum, sed adiungendus discursus rectae rationis iuxta rationem tertii modi electionum; sic enim certius evitantur illusiones internae, et magis absumus a periculo tentationis Dei; tum etiam perfectior est actus virtutis, ad quem plures virtutes concurrunt. Quod vero dicitur, ex iis quae prius intellexit, esse statuendum, omni studio et diligentia est observandum, ut tanquam ex principiis illis, quae ducuntur ex informationibus atque alia rerum et hominum cognitione sit colligenda conclusio.

Unius horae ad summum. Cum enim sit necessum aliquem terminum praefigere, commodissimum est, ut una hora definiatur, iuxta consuetudinem exercitiorum spiritualium. Neque videri id poterit breve tempus iis, qui totum quatriduum in oratione et principiis colligendis elaborarunt, ex quibus principiis debeant in conclavi conclusionem elicere, adhibita oratione; aliud nihil.

Det autem omnibus absolutionem etc. Et ipse accipiat ab antiquissimo professo, qui ab eo illam accipiet facultatem.

Ab omnibus censuris. Intelliguntur censurae esse excommunicatio, suspensio et interdictum; extendit tamen Congregatio ad dispensationem in irregularitate; non poterit tamen Vicarius dispensare in omnibus irregularitatibus, sed in his solum, in quibus facultatem accepit a Sede Apostolica Societas.

Magis idoneum. Non enim satis est idoneum esse, sed est necessum, ut reliquis omnibus, si qui videantur idonei, sit magis idoneus; inter eos vero, qui videbuntur pares, cui sua voluntate quivis dabit suffragium, is reputabitur idoneus magis, atque adeo erit, iuris interpretatione.

Qui plusquam mediam partem. Nulla habita hic ratione praerogativae, quam in aliis rebus habet Vicarius, et Provinciales; sed re ipsa oportet suffragia medietatem excedere: vel, si numerus sit impar, eum esse numerum, qui unitate superet medietatem maximi numeri paris; ut si sit numerus suffragiorum viginti et unius, saltem suffragia sint undecim.

B. *Percontetur alios.* Haec ceremonia non est observata in electione secundi Generalis Praepositi; videtur tamen non esse praetermittenda: spectat enim ad auctoritatem et solemnitatem electionis, quasi concipiatur decretum ex eorum etiam assensu, qui contrarium dederunt suffragium. Nam, utcumque respondeant, si velint respondere, non enim est illorum expectanda responsio; formandum est omnium nomine decretum: quandoquidem illum, qui maiorem habuit suffragiorum partem, eligunt de iure etiam ii, qui contraria tulerunt suffragia; eligit enim universa Societas.

A. *Et ita, qui primus eum nominavit.* Quum hoc fieri non possit, non enim sciri potest quis eum primus nominaverit ex ratione suffragandi secreta; nisi mendum censeatur scriptoris, et proxima Congregatione emendandum; possemus interpretari primum, qui illum nominavit, antiquissimum professum ut cui competat primum suffragium dare; hic enim de iure primus electum nominavit, etiam si fortassis non de facto. Vellem ego locum emendari. Interim sequendae tres Congregationes, quae decretum hac de re ediderunt.

Ego N. nomine meo etc. Huius formulae verba observata non sunt in secunda electione, sed sensus.

Nec recusare debet. Nec potest; et hispanice quidem scribitur *potest,* non scribitur *debet,* nullo enim

pacto recusare electionem potest Generalis, atque etiam cogi legitime potest, ac debet, ut accipiat. Si in virtute sanctae obedientiae praeciperent electores, astringeretur obedire necessario.

Si non fuerit qui amplius. Locum hunc provide interpretata est Congregatio prima in actis prioribus, nec fere dissentiunt secunda et tertia. Qua in re est hoc animadvertendum, si inde excidat Congregatio, ut per tertium scrutinium eligere non possit Generalem, id est, si ad eum, qui plura habuerit suffragia accedere alii nolint; eo rem recidere, ut per compromissum omnino ille sit Generalis futurus, non solum qui tulerit maiorem partem, sed fortassis qui minorem. Nam incertum est qui sint futuri electores, et tamen est certum duos illos vel tres, qui eminenter plura habuissent suffragia, nec activum, nec passivum habere suffragium posse in electione compromissariorum, quod dixit Congregatio; quos tamen censere possumus digniores ceteris esse, et certioris iudicii. Quare qui iam secundo scrutinio vident, quem ipsi nominant, eum non obtinere; animadvertant circumspecte ac providenter, num ad illum qui plura fert suffragia, deposito suo iudicio, se debeant convertere, praesertim si quem ipsi nominant, pauca fert suffragia, nisi accessio fiat; iam enim necessum est eum eligi, qui plura tulerit suffragia, nisi etiam alius eligatur qui habuerit pauciora. Quod si hoc non videatur Patribus, et tertium scrutinium absque aliquo accessu fiat, vel cum eo quidem accessu, qui non conficiat plura, quam dimidiata suffragia; consultius esset fortassis constitui, ut post tertium scrutinium ille censeretur, et esset Generalis, qui plura haberet suffragia, ut illud saltem

evitetur, ne is forte eligatur qui pauciora habuerit. Etenim iam eo deventum est, ut ad plura suffragia eorum, qui erunt compromissarii electores, electio sit transigenda iuxta Constitutiones: et evenire quidem poterit, ut plura horum suffragia concurrant in eum, qui pauciora habuit; et alioqui pendet iam ex pluribus suffragiis electio in compromissione: nisi velimus interpretari post tertium scrutinium nullum debere censeri habuisse plura suffragia. Omnia enim suffragia abrogantur, et nulla esse censentur de iure, perinde ac si nullum esset suffragium datum; et Societatem eligere, qui possint dicere suffragia. Iam vero si duo unum eligant, alium alii duo, quintus vero alium, quintus ille debet ad alterutram partem accedere, ut dixit prima Congregatio in actis prioribus; secunda vero dixit esse referendum ad Congregationem, et ab ea decidendum: sed mihi idem videtur, ut quintus ad alterutram partem accedere debeat alio scrutinio, quo omnes quinque suffragium darent, ut quinti esset secretum. Sin singuli suum nominarent, in hunc articulum esset danda vel Vicario, vel antiquissimo ex professis Provincialibus, ad quos res non pertineret, nominatio, ut posset, et deberet unum e quinque designatis eligere; et is quidem censeretur, non solum plusquam medietatem habere suffragiorum, sed omnia suffragia, hoc est unum illud, in quod tota Societas compromisit. Verum haec ratio illud habet certum, et non ferendum incommodum, ut alia taceantur, quod erit manifestum quis eligeret unum e quinque et creaverit Generalem. Non igitur probatur modus ille; subdam tamen qui occurrit. In eo igitur rerum eventu publicum quidem est quis, quo loco ex illis quinque

sit renuntiatus. Ad primum, igitur, accedere deberet qui secundum elegit; ad tertium qui quartum; qui quintum vero, accedat ad primum vel ad tertium: et, facto secreto scrutinio, emerget vel primus vel tertius Generalis, secretis suffragiis.

Post promulgationem. Commune est, ut post publicationem suffragiorum, per quae aliquis eligitur sive in Generalem, sive in compromissarium electorem, sive ut sit qui eligere debeat in suffragiorum paritate, sive in definitorem; commune, inquam, est, ut suffragia mutare non possint ii, quorum suffragiis est aliquis electus. Et dissidii quidem auctores habebuntur, erunt item censuris a Congregatione coercendi, qui contra egerint; et tamen si illud mutent, nihil propterea movebunt electionem. Nam postquam publicata sunt suffragia, etiam si solemnitas decreti adiuncta non sit, tamen ius est quaesitum designato, sive electo per illa suffragia. Sed illud proprium est in electione Generalis, ut is, qui post publicationem suffragiorum, sive quae fit ante decretum, sive per decretum ipsum, mutet suffragium vel aliam attentet electionem, incidit in excommunicationem latae sententiae, cuius absolutio Generali Praeposito reservatur. Quod vero dicitur nullum posse post promulgationem, qua ius alicui est quaesitum, suffragium mutare suum; indicio est, quod illud possit ante illam promulgationem, in secundo vel tertio scrutinio, vel ubi ex compromissione eligendus est Generalis; ne forsitan quis scrupulose credat, se non posse, quod semel iureiurando confirmavit, id mutare. Nam liberum tunc est ad aliorum accedere suffragia; ut est necessarium in electione, eos, qui suffragium non dederint electo, deposito suo iudicio, ad aliorum iudicium accedere.

Aliasque graves censuras. Non facile videbitur fortassis, quaenam ferri possint ecclesiasticae censurae, lata iam excommunicationis sententia. Sed tamen ferri potest suspensio, infamia, depositio; itaque fere censurae omnes. Possent etiam addi poenae externae; carcerem, auxilium item brachii saecularis invocari. Sed faciet Christus Iesus, ut haec nunquam nobis sint usurpanda.

Erat ad finem huius cap. statuendum, quid agendum sit de scriptis suffragiorum post electionem. Id vero dixit Congregatio in actis prioribus, esse quidem servanda a Secretario ad finem usque Congregationis, et tunc demum comburenda. Sed hoc tamen ipsum, et absque ulla necessitate fit, et cum periculo coniunctum est, et nescio quid impuritatis habet. Quorsum nostra conservantur suffragia, cum res acta transacta sit legitime, de qua agere rursum sit interdictum, et quidem sub poena excommunicationis? Poterit praeterea ex conservatione illa fieri omnibus manifestum, quis, cui dederit suffragium; quod amaritudinem aliquam inter Patres excitare posset. Et quidem iam prima electione vidimus a Cardinali Pacheco, qui nomine Pauli IV praesens fuit electioni, non esse observatum. Statim enim post promulgatam electionem, confectumque decretum, coram omnibus iussit omnia comburi. Hoc admonitos volui Patres, qui deinceps intererunt electioni Generalis Praepositi, quod liberum sciam illis esse aliter et sentire, et facere. Neque enim obligant acta priora primae Congregationis, ut superius est annotatum. Decrevit postea secunda generalis Congregatio esse suffragia statim post promulgatum electionis decretum comburenda; idem tertia.

IN CAPUT SEPTIMUM PARTIS OCTAVAE CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

De modo. Ad huius capitis declarationem et praxim multa sunt a Patribus decreta in posterioribus actis primae Congregationis generalis. Ego reliquum si quid fuerit, curabo cum gratia Domini perstringere.

Inclusio necessaria non erit. Non tam significatur, utilem alioqui esse posse inclusionem, quam omnino non esse includendos Patres: quod ex ratione harum Congregationum intelligitur, et ex consueta P. Ignatii phrasi.

Licet sit curandum. Et a Generali Praeposito, et a tota Congregatione.

Deinde semel aut saepius. Quoties autem, ne res in infinitum abeat, id definiet generalis Congregatio ad plura suffragia.

Deinde Provinciales, Rectores etc. Ratio videtur habenda Assistentium, et suus illis locus attribuendus. Habent enim suffragium Assistentes in his Congregationibus, quod decrevit Congregatio secunda generalis; habent in electione Generalis Praepositi, quod statuit prima. Videtur ergo consentaneum, ut locus illis detur pro antiquitate professionis, unde suffragia dicant; quod intelligo, nulla habita ratione Provincialium. Itaque si aliquis Assistens antiquior sit professus, quam Provinciales omnes, illos omnes praecedet: atque adeo toto ordine praecedere deberent ordinem Provincialium.

Nam dignitate videntur praestare Assistentes, tum quod consiliarii sint Generalis Praepositi, tum quod in illum habent in certis rebus iurisdictionem et a Congregatione generali eliguntur; nec potest illis officium abrogare solus Generalis Praepositus. Hae rationes etiamsi vim habere videantur ante electionem Generalis tantummodo, ubi non est illis officium abrogatum, et in secunda generali Congregatione priores consederint, et suffragia dixerint Provinciales; tamen in actis posterioribus eiusdem Congregationis decretum est, ut antiqui, idest defuncti iam officio, Assistentes haberent locum inter Provinciales iuxta tempus suae professionis, et sententiam dicerent; novi vero suae professionis locis.

Alïque ad Congregationem vocati. Non hi solum sunt audiendi, sed praeterea omnes, qui aderunt, et aliquid volent Congregationi proponere; tum absentes etiam, si litteras ad Congregationem mittent: breviter omnes audientur, nisi si quos censeret Congregatio, non esse audiendos. Itaque ad prolixitatem evitandam, quod factum est in prima generali Congregatione, id esset utile usurpari: ut absentium, tum etiam eorum omnium, qui suffragium non sunt habituri, propositiones committerentur selectis Patribus examinandae, qui iudicarent si quid dignum videretur, quod ad Congregationem referretur; reliqua supprimerent, vel dicerent esse ad Generalem referenda.

Rationes eorum. Rationes adducentur in utramque partem, non tamen sententiam adhuc suam dicent proponentes; sed ubi suo ordine in patrum consessu erit locus illam dicendi. Si aliorum, qui Congregationi non intersunt, proponentur dicta, similiter fiet: primum

eorum rationes legentur, dein poterunt etiam sententiae rogari; tametsi non habebunt illae vim suffragii. Itaque quod dicitur *eorum, quae sentiunt,* intellige proponenda, vel quae in utramque partem sentiunt.

Et postquam dixerint sententiam. Ne intellige suffragium, nam hoc non datur, nec accipitur a proponentibus; nec est hispanice *postquam dixerint sententiam,* sed simpliciter *postquam dixerint,* hoc est proposuerint, ut diximus: et hoc ita debere intelligi confirmavit praxis secundae Congregationis, tum etiam primae et tertiae; nihil enim aliud, quam dubitat proponens, vel adducit in consultationem, quae sibi videntur, dicit rationes cur moveatur: erit vero postea locus etiam proponentis suffragio, ubi sententias Patres dicent suo ordine, si tamen ius habet suffragii.

Ut si qui velint. Non est hispanice *si,* sed simpliciter, *ut qui velint* etc. Non enim est sub dubio, vel conditione ponendum, ut si qui velint, videant; sed quum omnes Patres debeant videre propositionem, et rationem dubitationis, hoc loco dicitur debere illa esse parata, atque in promptu, ut ea omnes videre possint.

Dicant. Esset utile, si, antequam dicant sententias Patres de re proposita, sedate ac moderate, ut nos decet, disceptaretur; quod videtur initio proximae § significatum. Nec esset alienum, ut disceptatores deligeret Praepositus Generalis, non dissentiente Congregatione, idoneos Patres, qui rem possent aliis Patribus facere clariorem: ne inclinent tamen hi ad persuasionem, quemadmodum nec qui proponunt; sed in hoc duntaxat versentur, ut rei difficultatem exponant, reservato sui animi iudicio. Qui vero nec proponet, nec erit disceptator, ei simplex suffragium erit dicendum absque

disputatione. In dicendis porro sententiis, magna est animi ac spiritus obtinenda ac conservanda in Domino puritas atque integritas, magna veritas, magna modestia, ut nihil per contentionem vel curiositatem agi videri possit. Hoc fiet, si utantur Patres industriis iis, quas tradidit Pater Ignatius in libello exercitiorum ad electiones rite faciendas; et tandem omnia ad tertiam illam rationem electionis, quae fit per rationum collationem, examinentur. Muniant autem se omnes spiritu humilitatis ac simplicitatis in Christo.

Rebus agitatis. Ad hunc locum bona ex parte attinet superior annotatio.

In una, vel pluribus. Erit Praepositi Generalis definire, num pluribus, vel paucioribus Congregationibus sit deliberandum, nisi aliter Congregationi videretur. Non solum autem eligendi sunt definitores, ubi non extaret manifesta resolutio; quod contingere vix potest, nisi in paritate suffragiorum: sed etiam ubi propter negotiorum multitudinem diutius Congregationi expectandum non videretur; sed, constitutis a Congregatione rebus gravioribus, reliqua esse a definitoribus conficienda iudicaret; quod factum est in secunda Congregatione generali, postea etiam in tertia.

Communi omnium, vel fere omnium. Bis deliberatum est in prima Congregatione de huius loci interpretatione, et primum quidem decretum est in hanc sententiam: esse pluribus suffragiis standum in decretis harum Congregationum; quod si plurium sententiis non possit res confici, tum demum esse definitores eligendos. Rursum autem cum quaereretur, an locus esset iuxta hanc interpretationem emendandus, responsum est a Congregatione, nil esse in alte-

rutram partem definiendum; sed scholio esse exponendum, quatuor fuisse de hac re sententias. Primam, quod pendeat definitio ab omnium, vel pene omnium sententia; secundam, quod a maiori parte, quam media; tertiam, quod a maiori parte simpliciter. Quarta fuit, quod ille communis consensus referendus sit ad definitorum electionem, ut fiat distinctio post illa verba, quae habentur in originali hispaniensi (a la una parte) hoc est comma affigeretur post *videretur;* quod vero sequitur, *communi omnium, vel fere* etc. ut referretur ad electionem definitorum, qui essent omnium, vel quasi omnium consensu eligendi. Haec Congregatio. Verum nil oberit, quae praeterea occurrunt, annotare ex animi mei simplicitate in Domino. Hoc igitur secundo decreto nihil est aliud definitum, quam non esse quidem locum emendandum; tum fuisse in ea Congregatione, qua hoc decretum factum est, dictas, praeter eam, quae Congregationis fuerat, tres sententias. Verum si illam, quae tertio loco hic refertur, cum reliquis conferamus, magna eius apparebit praerogativa. Nam ea sententia priori illo decreto fuit a tota Congregatione probata. Quare, si ad praxim res est deducenda, erit necessario illa tertia sententia sequenda. Nam et non est illa abrogata, et quod decretum est nihil esse in alterutram partem definiendum, nil aliud, quam responsum est quaestioni: num essent emendandae Constitutiones iuxta illam interpretationem. Quare constat illius tertiae sententiae sua auctoritas. Verum, ut rursum de his sententiis dicam paucis, certe quarta sententia videtur reiicienda. Nihil enim proficimus aliud illa interpretatione quam ut difficultatem, quae attinebat ad definitiones Congregationum, transferamus

ad electionem definitorum. Qua in re duo facimus: primum, de definitionibus Congregationum relinquimus incertum et dubium, an pendeant ex communi fere omnium consensu, vel ex maiori, quam media suffragiorum parte, vel e maiori parte simpliciter: secundum, difficultatem loci in eam partem reiicimus, quam oporteret expeditius agi; breviter dispendium facimus, ubi compendium quaerimus; praeterquam quod vis videri potest inferri verbis constitutionis, et simpliciter phraseos P. Ignatii. De tribus aliis mihi ita succurrit distinguendum. Nam si res agatur in Congregatione de Constitutionibus quacunque ratione immutandis, censerem id fieri non posse, nisi communi omnium vel fere omnium consensu; quod interpretarer, nisi duae partes e tribus in unam convenirent sententiam: si de domibus vel collegiis ex causa dimittendis esset deliberandum, ut maior quam dimidia pars idem diceret suffragium: sin de aliis rebus levioribus rogentur sententiae, sat erit ad definitionem, ubi maior pars simpliciter idem censeat. Harum rerum confirmationem omitto, quod facile cuivis occurrere possit. Viderit proxima Congregatio quid optimum factu sit futurum in Domino; quae vero sint habendae res leviores id censebit Congregatio ad plura suffragia. Editus postea est canon de his rebus in secunda Congregatione, de quo canone cuperem rursus ad proximam Congregationem referri. Nam mutare Constitutionem etiam quae non sit de substantialibus, gravissimum est: et simpliciter Constitutiones immutari non possunt absque experimento, vel ratione clarissima, ut sapienter statuit prima Congregatio; quod nihil esse aliud videtur quam praescribere maiorem requiri, quam mediam partem

suffragiorum. Quo videtur spectasse Pater Ignatius hoc capite, quum dixit *omnium, vel fere omnium.*

Et in eo ius habent suffragii. Non soli electores intelliguntur habere hoc ius, sed alii legitime in Congregatione vocati, et admissi.

N. *Compromittant.* — V. *Promittant.* Est in exemplari hispaniensi *comprometen,* idest compromittant. Neque alia est ratio compromissionis, vel promissionis, nisi quod, ipso facto electionis definitorum, compromittit Congregatio stare Generalis ac definitorum legitimis sententiis, atque statutis.

Cum Praeposito Generali. Qui tamen, ut decretum est in posterioribus actis primae Congregationis, non habebit duplex suffragium, sed praerogativam tantum suffragii in paritate. Si enim duplex suffragium retineret inter diffinitores Generalis, necessario consequeretur, ut definitores omnes penderent ex solius Generalis iudicio, quod est contra rationem Congregationis, nisi ubi quatuor definitores in eadem essent sententia.

Decident. Ad plura suffragia, et ubi necessum fuerit, Generalis praerogativa adhibebitur. Quamvis autem plena videatur facultas definitoribus dari, ut de quibusvis rebus decernere possint; animadvertendum tamen est, ne nimia ea videatur esse potestas, et circumscribenda potius sit, ut decidere non possint de abrogandis, vel innovandis Constitutionibus, vel omnino de immutandis, et si quid praeterea videbitur gravius, quam ut definitoribus permitti debeat. Censuit postea secunda Congregatio, ut intercessiones, quae obiicerentur definitoribus in his, quae ad Constitutiones attinent, vel ad dissolvenda magna collegia, a Congregatione terminarentur. Breviter erit in Congregationis arbitrio semper si quid sibi velit, reservari.

Quo verget maior pars. Nam in paritate ea pars maior reputabitur, a qua stabit Generalis; quod tantum contingere potest vel ubi singuli contrariam dicerent sententiam, vel bini. Nam si sit Generalis in alterutro binario, illud praevalebit; si vero singulariter sentiat, debet alterutram sententiam binariorum probare. Ceterum si tres darent suffragium, Generalis cum reliquo aliud; dubium non est obtinere illos tres.

N. *Ea corporis valetudine* — V. *Non erit ea habitudine corporis.* Gravi oportet Generalem esse affectum valetudine et quae omnino, vel eius actiones impediat, vel quae de medici sententia negocia ferre non possit, si non sit interfuturus definitorum Congregationibus. Itaque cavendum illi est, ne levem ob causam illi negocio desit tam gravi, tam necessario.

Posset alium. Non habebit tamen hic praerogativam suffragii, quae datur Generali, vel qualitatem, quam scilicet nec dat ilii constitutio, nec dare potest Generalis; tametsi poterit praesidere Congregationi definitorum. Ubi tamen esset suffragiorum paritas, ut si duo hinc unam sententiam tenerent, illinc duo aliam, tertio loco quintus diversam ab utrisque, vel singuli suam; Generalis esset, e parium suffragiorum sententiis unam eligere, si iudicio valeat: quod si faciat morbus, ut id non possit, vel qui singularis est ad alterutrum binarium accedere debet, vel si singulares omnes essent, debent ex suo numero unum eligere ad plura vota, qui accedat ad quam sententiam malit: quod si hoc non succedat propter paritatem scilicet suffragiorum, eligatur unus a Congregatione, qui illud praestet, vel omnino subrogatus a Generali habeat etiam praerogativam.

Scribetur. A Secretario authentice, hoc est in libro ad hoc parato; subscribentibus Generali et definitoribus.

Et si etiam tunc. Etiam si reliqui Patres sint congregati; nihil habent tamen aliud quam intercedere semel quidem in aliis rebus: in abrogandis vero veteribus sive novis Constitutionibus instituendis, bis idem licebit singulis Patribus; quod autem aliud nihil singulis liceat, satis constat ex actis posterioribus primae Congregationis: quod autem amplius nihil reliquis Patribus congregatis, inde fit quod tota Congregatio illis quinque suam dedit auctoritatem. Adde quod reliqui Patres, praeter quinque illos, Congregationem legitimam non faciunt. Si post duas intercessiones sibi constent definitores, ex obedientia omnes decreta definitorum recipere atque observare tenebuntur, donec in alia generali Congregatione, ut re integra, de actis definitorum superioris Congregationis iudicari legitime possit. Haec vero intelligenda sunt, si eligantur absque alia conditione definitores, ut videntur eligendi ex Constitutionibus; vel nisi illi sua voluntate vellent de aliqua re ad legitimam generalem Congregationem referre. Huic tamen adde, quod est hoc capite annotatum in verbum *decident.*

Scribet. Ut dictum est. Quando autem sit Congregatio solvenda, id situm est non in arbitrio solius Generalis, sed in consensu totius Congregationis ad plura suffragia; etiamsi Generalis Congregationem convocaverit solus. Etenim ante Congregationem suprema auctoritas in Generali posita est; cum agitur Congregatio, in Congregatione, cui et Generalis ipse subditur, ad plura suffragia.

IN PRIMUM CAPUT NONAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ut ad proprium finem. Ut ad proprium quidem finem, sed non ad solum; nam fines particulares sunt etiam fines Principis in civitate bene instituta, quos ipse assequitur per suos magistratus et ministros. Illud tamen unice et proprie convenit Principi, ut universam rempublicam ipse gubernet, bonumque totius civitatis ipse respiciat, ipse procuret, ad totum et unum ipse spectet.

Minus laboris. Speramus enim futurum in Domino, ut longaevi sint Generales Praepositi.

IN SECUNDUM CAPUT NONAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Inter varias dotes. Plane hoc capite describuntur quae extabant dotes in P. Ignatio, et quo spectare debeant electores, ut eligant idoneum Generalem. Sed sunt alia praeterea animadvertenda ab electoribus. Propterea tam diligenter actum est, in actis prioribus primae Congregationis, de ratione informationis et nominatim de interrogationibus ad informationem capiendam; quae omnia in haec duo capita recidunt. Primum, ut non solum iis careat eligendus, quibus

necessario carere debet, sed illis etiam, quibus carere non tam est necessarium, quam utile et conveniens; quo in genere non solum sunt vitia, vel praeterita vel praesentia, sed etiam defectus naturales, vel accidentarii, quarum rerum plenior tractatio hoc capite desideratur. Aliud est caput, ut iis virtutibus ac donis ornatus sit, quae necessaria videbuntur fore et utilia ad tantae magnitudinis, atque amplitudinis ministerium pro dignitate gerendum in Domino. De his donis etiam si tractet hoc capitulum, nil oberit tamen alia addere; ut si quis in Generali requirat plenam cognitionem spiritus Societatis, gratiae vocationis nostrae, ac propriae rationis totius Instituti tùm speculativam, tum practicam; intimum cordis affectum ad Institutum; finem societatis penitus impressum; usum gubernandi, ac successum; tum alia, quae et Dominus ipse, et recta ratio docebit in Domino.

Quam maxime coniunctus. Haec unio, sive coniunctio intelligitur charitatis, in qua christiana perfectio sita est, et ex qua in alias omnes virtutes derivatur. Itaque unio non est solum intelligenda in oratione, quae longe est inferior virtus, quam charitas; sed duae sunt uniones hoc loco intelligendae, altera charitatis, quae fidei et spei continet unionem; altera orationis, quae hoc generali quodam nomine complectitur vitae spiritualis plenum usum atque exercitium; in quo statu omnia spiritualiter cognoscuntur, iudicantùr atque aguntur.

Impetret. Simul illud intelligitur a Generali requiri, ut sustentet in oratione et sanctis desideriis universam Societatem; quale officium exigebatur a Rectore erga collegium. Hoc vero in unione charitatis consum-

matur, quasi plenum charitate ac Deo cor vim accipiat, qua iungat ac uniat Deo Societatem universam, atque omnes partes in Christo Iesu.

Exemplum. Subintelligitur vero debere Generalem esse in omnium virtutum genere excellentem, unde exemplum eluceat etc.

Certe non desit. Sunt non solum in superioribus, sed in his etiam, quae tradita sunt de ratione informationis et interrogationum, aliqua necessaria, et sine quibus, vel etiam cum quibus eligi nullus Generalis possit. Alia sunt non tam necessaria, quam utilia. Attente igitur est cavendum, ne ad id, quod hac § dicitur, veniatur, nisi ubi necessaria illa non excludent. Neque enim debet propter hunc locum quisque existimare, conscientiae et fidei electoris satisfieri posse, si ad haec tantum spectet; nisi diligenter alia omnia perpendat; adhibeat etiam in illis, vel caveat quicquid spiritus, quicquid ratio recta postulabit.

IN TERTIUM CAPUT NONAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

N. *Auctoritatem.* — V. *Potestatem.* Potestatem intellige, et iurisdictionem; quod est hispanice auctoritatem.

In Societatem. Non congregatam. Nam quum est congregata legitime Societas, huius est maior auctoritas, maior iurisdictio, quam Generalis Praepositi: quod decreto expressit prima generalis Congregatio. Qua de

re nec dubitatum fuit, nec disceptatum. Erit autem fortassis operae pretium in hoc capite aliqua annotare, quae faciant potestatem Generalis et officium explicatius. Primum igitur tota potestas, de qua hic agitur, ad iurisdictionem ecclesiasticam attinet. Constat autem hanc iurisdictionem sitam esse in Sede Apostolica, ac summo Pontifice; et hinc ad omnes Ecclesiae Praelatos, et Congregationes derivari. Itaque tantam habet Generalis iurisdictionem, quantam legitime a Sede Apostolica accepit. Constat vero Sedis Apostolicae auctoritate, et eligi Generalem a Societate, et posse abrogari ex causa; et leges, quibus et se Generalis gubernet, et Societatem, hoc est Constitutiones, a Societate praescribi. Constat praeterea, quae graviora fuerint negotia, cognitioni et definitioni Societatis reservari. Tota igitur est iurisdictio in Societate posita; actu quidem cum est legitime congregata; potentia vero ubi congregata non est, sed ita tamen, ut se possit ad actum reducere; retineat autem actum aliquem in nonnullis rebus, quod constabit ex quarto capite proximo. Et haec quidem Societatis auctoritas est in Generalem, et omnes Societatis partes; neque solum in has, sed in totam etiam Societatem; tametsi alioqui in se iurisdictionem habere nullus possit. Nam quae Societas in una Congregatione constituit, de iis iudicium habere potest in alia, quamvis quae de substantia sunt Instituti, ea nullo pacto mutare potest Societas. Censetur igitur et est tradita iurisdictio Generali a Societate, qua uti in omnes partes Societatis possit, non in totam Societatem complexim; quae cum est congregata, exercet quidem suam auctoritatem ordinariam Generalis, sed actu dependet in ea gubernatione ab actuali iurisdictione

Congregationis: quo tempore potest illi praecipere, illius decreta et rationem gubernationis moderari, vel etiam immutare. Ubi vero congregata non est Societas, dependet tamen a Societate Generalis, qui legibus sibi a Societate datis tenetur; tum quod possit Societas in Congregatione et de illius actis inquirere, et ipsum cogere, ut apud se causam dicat; atque adeo illi abrogare magistratum potest ex certis causis, et alium Generalem creare. Officii autem Generalis Praepositi ratio sic brevi explicari posse videtur: ut e principali gratia vocationis nostrae et religiosi instituti gubernet universam Societatem, et eam gratiam penitus impressam cordi suo habeat, illi assentiatur, illi cooperetur in Christo Iesu. Habet enim ex vocatione ad hoc ministerium huius gratiae plenitudinem quandam, quasi architectonicam; unde dispositionem et vim accipiat, et efficaciam Generalis ad totum Institutum pernoscendum, non speculative solum, sed practice; et eam consequenter facultatem, qua et diplomata, et Constitutiones cum Declarationibus, et decreta alia Societatis perfecte intelligat, et explicare, atque ad praxim consulte, diligenter, ac providenter deducere possit: sciet uti iis praesidiis, quae illi dat Societas, et ultimo capite huius partis explicantur, et utetur prudenter et industrie. Erit in spiritu praesens toti Societati, totam Societatem sustinebit, diriget, gubernabit in Domino: omnes partes Societatis habebit exploratas, et perspectas; Provinciales praesertim, Rectores, Praefectos probationum, Provincias, domos, collegia; de privatis vero ita commode curabit cognoscere, ut necessum videbitur ad universalem omnium curam exercendam. Illud autem sciat sibi esse unicum

opus, unicam occupationem, unicum studium, universae Societatis et curam et gubernationem gerere animo, et opere ac ministerio exequi in Christo Iesu, et gratia suae vocationis; alias vero occupationes cum hac non coniunctas vitabit. Providebit autem, ut omnes intelligant, et velle ipsum et scire et posse gubernare, et re ipsa operam gubernationi dare primam quidem, et (ut ita dicam) monarchicam: et ita quidem providebit, ut ne minimum quidem suboleat, illum abduci facile familiaris alicuius vel gratia vel ingenio, vel curam primariam despondere, et alium Generalis partes usurpare vel gerere. Ita enim et concipere spiritu, et gerere debet suum officium Generalis, ut consilio quidem utatur Assistentium, ministerio Secretarii, et Procuratoris, et aliorum commode; sed ita tamen, ut confidat in humilitate cordis sui, et simplicitate in Christo Iesu, se gratiam habere maiorem, maiora principia spiritualia, ac vim maiorem, unde solus plus possit discernere ac providere, melius deliberare, constituere, exequi, si sibi non desit et gratiae; tametsi Assistentium debeat audire sententias in rebus gravioribus. Illud praeterea curabit in omnibus actionibus suis, ac tota administratione sui officii, ut luceat lux eius apud universam Societatem, et valeat quam plurimum auctoritas, et nominatim apud Assistentes; qui ut magna auctoritate funguntur erga Generalem, ita illos diligenter et graviter debet in officio ac obedientia continere, atque curare, ut perfectionem retineant humilitatis, atque simplicitatis inter ipsos; charitatem, et benevolentiam alere; nihil contentionis, vel simultatis permittere, ut perfectos decet homines. Quod si necessum Generali videatur, ut in Congregatione de

rebus gerendis disceptent, primum ipse ne disceptet; et illos iubeat, ac curet modestissime disceptare, absque passionis alicuius perturbatione: breviter ad similitudinem Angelorum et Sanctorum illa debet esse disceptatio comparata. Sancti enim et Angeli de rebus, quae ipsis revelatae non sunt et dissentiunt aliquando, et disceptant in perfectione suae beatitudinis, et gloriae. Similiter non inter Assistentes solum, sed omnino inter omnes, quotquot in Societate vivimus, si dissentiendum est, si disceptandum, quod accidere nonnunquam necessum est; id fieri oportet in unione ac perfectione charitatis, et gratiae vocationis nostrae in Christo Iesu.

Vel ubicumque libeat. Est hoc in arbitrio Generalis positum iuxta Instituti nostri rationem. Intelligere autem possumus, alibi non solum admitti, sed probari posse novitios, non solum in domibus et collegiis; tametsi difficilius alibi, quam in domibus et collegiis, admitti possint, facilius probari. Et illud quidem est hactenus inusitatum; hoc non solum usitatum, sed etiam ex Instituto. Nam in peregrinationibus probantur, in hospitalibus, in aliis ministeriis, iuxta quintam et sextam experientiae rationem: praeterea si dentur comites Patribus in ministerium missis. Ceterum alios item poterit extra domos vel collegia in coadiutores, vel professos admittere. Non faciet tamen, nisi urgeat necessitas, quod facile non potest.

Collegiorum. Quo nomine hoc loco intelligi necesse est domos probationum, quae a domibus professorum sunt separatae. Nam quum hae habere possint redditus et bona stabilia; de ipsis ea sunt intelligenda, quae de collegiis et in diplomate confirmationis et

hoc loco dicuntur. Quod autem non fiat particularis mentio de domibus professis, ne intelligas praetermissum, sed praemissum esse initio huius capitis. Nam professa Societas est proprie Societas, in quam habet primariam auctoritatem, et iurisdictionem Generalis; nec de re comperta plura oportuit statuere.

Et per huiusmodi Rectores. A Generali communicatur Rectori iurisdictio sui collegii gubernandi; sed haec est duplex, ordinaria et extraordinaria. Ordinaria quidem est, quae ad gubernationem collegii praesentem et quotidianam necessaria est. Ex hac non habet Rector, ut vendere, vel alienare aliquid stabilium bonorum possit vel omnino aliquid collegii alio applicare, quam ad eius sustentationem iuxta rationem Instituti; et omnino earum rerum facultatem non habet ordinariam, sine quibus ordinarie gubernari potest collegium. Quocirca, si in illis aliquid agat, nihil egerit; et contractus, quos inierit, de iure et de facto erunt nulli. Animadvertat igitur Generalis Praepositus, cui Rectori, quam possit facultatem extra ordinem communicare; et provideat ne vel Rectores facultatem usurpent, quam non habent, et fiat iniuria Societati, et contrahentibus; vel qua facultate egebit Rector extra ordinem, ut ea non careat, ne administratio Societatis inde detrimentum patiatur.

In iis, quae ad aedificia. Intellige non solum in Universitatibus, sed etiam in aliis collegiis. Nam per Rectores, et ministros ea gubernabit Praepositus Generalis: et in aedificiis quidem, Rectorum est circumscripta facultas per regulas quae ad aedificia, et bona temporalia attinent.

Omnis facultas. Plenius de hac facultate statuit

Congregatio prima, ac contestata est publico tabellionis instrumento.

Aut omnino dissolvere. Non ita est hic locus intelligendus, quasi omnia possit Generalis, quod ad alienationem attinet, vel dissolutionem domorum, et collegiorum; modo ne omnino dissolvatur domus, vel collegium. Nam ita fieret, ut mediam, vel etiam maiorem partem illorum bonorum posset alienare; quod nullus hactenus intellexit. Explicanda igitur ita res videtur, ut complexa est Congregatio, ac probavit publico tabellionis instrumento: ut ea, quae possit in hoc genere Generalis vendere, emere etc. in evidentem sint collegiorum utilitatem. Nam alioqui ex diplomate Apostolico est Generali interdictum simpliciter, ne possit absque consilio Societatis alienare vel dissolvere domos, vel collegia semel erecta; qua de re in secundum caput quartae partis Constitutionum annotatum est.

Aut huic, vel illi loco. Intra Societatem. Nam de iis agitur bonis, quae Societati donantur. Itaque ius quaeritur Societati ex donatione, et tantum intelligitur esse relicta libertas Generali, ut ad quem velit Societatis locum particularem, applicet. Aliud autem esset, si ita donarentur, quasi in eleemosynas simpliciter essent illa bona, vel in opera pia quaevis applicanda. Tunc enim liberior esset Generalis in distributione. Et ad hanc rationem videtur intelligendus locus quidam instrumenti editi in Congregatione et quaedam declaratio quarti capitis huius partis. Quod autem postea statuit secunda Congregatio, ut, quae hoc loco relinquuntur Societati ad eius arbitrium dispensanda, de iis intelligantur, ut de aliis interpretata est, quae

ex capite primo tertiae partis erant controversa: intelligendum est, si e nostris aliquis det Societati. Nam si simpliciter bona darentur a nostro dispensanda, posset quidem illa lege teneri Generalis, si vellet Societati aliquam partem applicare; sin extra Societatem pauperibus, nihil illum illa lex impedire posset. Nam et illud dubitari non potest, si de nostris non intelligatur Constitutio, liberum esse Generalem ex praescripto donantis; quod attigit generalis Congregatio.

Ita ad eundem pertinet. Dispensationis facultas posita tantum est in Congregatione generali, et Praeposito Generali, unde aliis communicatur. Nullus enim praeterea ex officio habet, ut dispensare possit; non praefectus probationum, non Rector, non Praepositus localis, non Provincialis, non Commissarius, nisi legitime illam accipiat.

In iis quae accidunt. Significantius hispanice, *en los casos particulares que requieren dispensacion*, idest, in iis casibus particularibus, qui dispensationem requirunt. Haec est enim ratio epiikiae, ut, pro rei particularis exigentia, exponenda sit lex universalis, quae tamen vim suam non amittit, non obligare. Non erit igitur illa dispensatio, quae ex sola voluntate dispensantis proficiscitur. Qua de re plenius in declarationem huius loci annotabitur.

Iudicabitur. Haud dubie a Generali, vel ex eius commissione ab aliis.

Et eam partem. Vel etiam omnes; sed iuxta quod acceperit a Sede Apostolica auctoritatem, gratias huiusmodi communicabit. Neque enim eas communicare cuique posset, nisi id a superiore auctoritate legitima esset concessum. Ceterum illud videtur hoc

loco admonendus Generalis, ut animadvertat diligenter, quam facultatem acceperit in gratiis, vel facultatibus communicandis, et sciat liquido quid in re quavis possit; gravem enim iacturam afferre potest, si quid in hac re erretur. Usus autem harum facultatum in Societate ita videtur temperandus, ut tantum ad salutem animarum, et forum internum animae conferatur; nil vero laedat exterius forum, et usum ecclesiasticae potestatis. Quare extra confessionem sacramentalem facultatibus utendum non est erga externos; quod ex diversis locis Litterarum Apostolicarum colligimus. Nam in diplomatis Pauli III anni 1545 et 1549 auditis confessionibus, accipimus facultatem in censuras. In diplomate Iulii III anni 1552 in foro conscientiae. Neque etiam in iis uti debemus nostris facultatibus, quae vel publica, vel notoria, vel ex quorum absolutione vel dispensatione Ordinarii possent legitime conqueri, quod ipsorum gubernatio impediatur, vel aliquid illis de ecclesiasticis emolumentis depereat. Haec typo quodam hic exponuntur. Sunt autem consideranda maturius. Porro in ratione communicandi facultates et gratias, illud animadvertat Generalis, si plane possit per alium illam communicare, ut id faciat consultissime; ne per delegatum erretur, praesertim si potest subdelegare, et culpa in Generalem recidat. Quod si per delegatum illas concedere non possit, erit hoc subsidium, et quidem in Societate hactenus usurpatum, ut Generalis illas concedat etiam iis, quos non habeat admodum perspectos: sed hac tamen conditione ac lege, ut illis facultatibus et gratiis non utantur, nec de facto, nec de iure, nisi probante aliquo, cuius iudicio plane confidat Generalis.

Correctionibus uti. Non iis solum, quas vulgo dicimus, poenitentias, quae solent esse Religiosis quotidianae; sed gravioribus etiam poenis, ut carcere, privatione consuetudinis domesticae, vel refectorii, etiam communionis sacrae, suspensione ab officio, vel etiam privatione a celebratione Missae, si sit Sacerdos: denique gravissima poena ecclesiastica, quae est excommunicatio. Non fuit tamen usus P. Ignatius excommunicatione, vel carcere. Congregatio vero prima generalis de carcere nihil aliud, quam confirmavit, quod non fuit controversum, posse Societatem illo uti; de eius usu nihil voluit statuere, sed illud reliquit Generalis iudicio. Quod si liceat meam sententiam significare, mea sic est ratio: longe perfectiorem esse futuram Societatis conditionem, si omnem metum expelleremus, et pura charitate, ac virtutis sincero amore duceremur; et fortassis esset consentaneum vocationi, atque Instituto, qui hoc spiritu non duceretur, et nisi per vim et poenam emendari non posset, ut is expelleretur potius quam ad excommunicationem, vel carcerem esset confugiendum. Tamen facit humana fragilitas, et miserabilis huius corruptionis status, ut saepenumero necessum sit, vi ac poenis ad virtutem eum adigere, qui vel repugnante natura, vel passione lacessente, vel urgente alia tentatione, vel mala horum persuasione corrumpente, a virtutis, religionis, ac disciplinae officio discedit. Adhibito enim disciplinae rigore, fit non adeo magno negotio, ut sanetur qui esset alias periturus. Quare usum omnium poenarum, de quibus attigimus, censerem in Societate usurpandum ibi duntaxat, si quando vehemens urgeret necessitas, et pleno iudicio speraretur ab his subsidiis auxilium; praesertim si

haec esset in eum disciplina adhibenda, a quo fructus in Societate expectaretur, alioqui non contemnendus.

Quando aliis de causis. Nulla scilicet est auctoritas in Societate, praeter Generalis consensum, Congregationem generalem convocandi, nisi ubi mortuo Generali, est alius eligendus, vel ubi propter expressos sequenti capite casus esset Generalis deponendus, vel de eius depositione agendum. Non enim praeter has causas esset illa Congregatio legitima, sed factiosa et schismatica. Ius vero nostrum constanter retinemus, ut constet Societati sua ratio gubernationis integra, ac firma, quae in uno sita est Generali Praeposito, quando non est actu congregata Societas. Quod si aliae causae necessariae evenirent, ut plane negari non potest quin evenire possint, et nollet congregare Societatem Generalis, ut sumus omnes homines fragiles e nobis et caduci; et propter eas causas videretur Assistentium maiori parti, maiori etiam Provincialium, Generalis admonendus; id facient primum Assistentes, dein Provinciales, ordine evangelico correctionis reservato, et illud agent primum, ut resipiscat, et satisfaciat admonitionibus. Id si non faceret, eo contendendum esset, id urgendum, ut convocaret generalem Congregationem; hoc si nollet, significandum esset Summo Pontifici, et petendum, ut liceret Societati in Congregationem generalem convenire. Haec ubi convenisset, non esset ambiguum quin esse deberet in obedientia Congregationis Praepositus Generalis; est enim superior sine controversia Generali Praeposito Societas legitime congregata. Huic difficultati est fere provisum in secunda Congregatione per conventum procuratorum tertio quoque anno.

De electione Praepositi. In locum scilicet demortui, vel si de depositione esset agendum.

N. *Et statuere* — V. *Et praecipere.* Aliud nihil potest Generalis hac in re; reliqua posita sunt in Provinciali. Sed de hoc vide quae sunt in tertium caput octavae partis Constitutionum annotata.

Dimittere. Intellige cum consensu Congregationis; sic enim esse interpretandum locum, facit decretum Congregationis primae generalis. Non videtur, inquit, solvendam Congregationem pro solius Praepositi Generalis arbitrio sine consensu Congregationis, quae Generali superior est. Quod si Congregatio est superior Generali, nulli Congregationi poterit praescribere Generalis, sed contra Congregatio Generali.

Nullus possit. Nullus omnino eorum, qui sub eius obedientia vivunt; tametsi solis professis quatuor votorum praecipiatur, ut hac de re votum emittant.

Non compelleret. Compelleret vero, ubi ad peccatum obligaret lethale, quod vel diserte exponeret, vel per censurae comminationem significaret. Nam si ad veniale tantum obligare vellet, ita esset interpretanda Summi Pontificis voluntas, quasi absolute id nollet praecipere. Huc addo; si praeciperet alicui Generalis, ut acciperet dignitatem, et ipsum constaret non esse ad id compulsum legitime, non teneretur subditus obedire, quandoquidem praeciperetur quod sine controversia est contra Institutum; simul graviter esset ab Assistentibus admonendus, si pergeret ita iubere Generalis; vel certe in proxima Congregatione esset poena decernenda Generali, si contra hanc constitutionem faceret; vel omnino esset statuendum, ut votum ederet post electionem, se non esse facultatem conces-

surum, vel probaturum electionem alicuius e Societate in dignitatem aliquam, nisi compelleretur.

Constituat idem, ut dictum est, suo arbitrio per se ipsum: quod hispanice est *de su mano,* id est e sua manu. Voluit temperare interpres, ubi vertit *suo arbitrio.* Est tamen animadvertendum, non abs re a P. Ignatio ita esse enuntiatum. Nam cum inferius proxima § dicatur: communicare Generalem Provinciali posse facultatem constituendi Praepositos locales, ac Rectores, illius tamen esse ipsos confirmare, vel abrogare; fit ut censeantur omnes Praepositi locales, ac Rectores immediate auctoritatem habere et electionem a Generali. Non enim erit aliud, quam designatus Rector vel Praepositus, qui non fuerit a Praeposito Generali confirmatus. Erit autem in arbitrio Generalis positum, num, postquam nominati a Provincialibus sint Rectores, vel Praepositi locales, continuo suum officium exercere possint legitime, an vero illis erit expectanda confirmatio; et in Indiis quidem, atque aliis longinquis regionibus erit concedendus usus officii ante confirmationem. In propinquioribus regionibus non videtur concedendus, vel si conceditur, non usurpet tamen nomen Rectoris, sed Vice-Rectoris habeat, vel Vice-Praepositi. Iam vero quod nullum tempus definiatur officii Praepositis localibus, vel Rectoribus, definiatur tamen triennium Provincialibus; fere nihil differt, si res inspiciatur penitus. Nam re ipsa non est ita praescriptum tempus Provinciali, quin possit libere etiam sola voluntate illum officio movere Generalis, sed solum hoc ita est constitutum; imo vero a P. Ignatio additum postea, cum illud a principio in Constitutionibus non posuisset, ut aliqua videatur haberi maior

ratio Provincialium, maior etiam illis fides haberi videatur, maior auctoritas deferatur, si dicantur eligi ad triennium, quasi iam primum Generalis iudicet idoneos, quibus Provinciam committat in triennium. Adde accidentariam quidem rationem, sed quae possit tamen evenire. Nam quum multam sint habituri auctoritatem Provinciales in sua Provincia, evenire posset, ut gravius acciperent officio privari, nisi tempus praescriberetur, quasi sua culpa id fieret, et contingere simul posset (quod Dominus avertat) ut favore Principum abuterentur in ambitionem. Erit vero propterea diligentius prospiciendum, ut in primis idonei ac probati Provinciales eligantur, ne necessum sit ante triennium illos mutare. Per hoc igitur provisum esse videtur de Provincialibus; de Rectoribus non fuit necessum quidquam providere, quod facile ex hac annotatione elici potest; tametsi utrisque possit abrogare officium Generalis, quoties volet.

Rectores collegiorum. Et non hos solum, qui proprie dicuntur Rectores, sed Superintendentes, si qui creabuntur; tum Praefectos probationum, ubi domus erunt probationum separatae a collegiis, et collegio alicui non erunt subditae.

Provinciales itidem. Annotatum iam est tertio abhinc scholio, cur Provincialibus triennium praestituatur.

Quam duxerit communicandam. Ea erit duplex, ex officio scilicet et ex commissione. Ex officio quidem ea est, quae regulis officii Provincialis continetur; ex commissione rursum duplex esse poterit facultas, ordinaria una, alia extraordinaria. Ordinaria est, sine qua fere geri non potest commode Provincialis officium, et quae solet omnibus Provincialibus commu-

nicari; extraordinaria vero, quae propter singularem aliquam causam, extra ordinem concedi potest et aliquando debet.

Eosdem confirmare. Ordinariam commissionem si det Generalis Provincialibus constituendi Praepositos vel Rectores, necessum erit illos expectare confirmationem, antequam exerceant officium, saltem ad nomen Rectoris usurpandum; si extraordinariam, extra ordinem item fiet, ut non sit expectanda confirmatio. Verum haec pendebunt ex voluntate Generalis Praepositi, ex circumstantia rei praesentis.

Idem officiales reliquos. Sub nomine officialium non intelliguntur Generalis Assistentes, nec is qui Generalem debeat admonere ex officio. Nam hos non eligit Generalis Praepositus, sed Societas; et si quando eliget Generalis, id facere non poterit, nisi factum probet maior pars Provincialium; quod statuitur quarto et quinto capitibus sequentibus.

Eam illis facultatem. Pendet scilicet facultas utriusque et Secretarii, et Procuratoris generalis ex arbitrio Generalis Praepositi; neque quae de horum officiis statui videntur ultimo capite huius partis, alio spectant, quam ut habeat Generalis, quo spectare debeat in eorum electione, et in communicanda illis facultate, et in utendo corum ministerio. Sed hac de re rursus erit inferius ultimo capite dicendum.

Ut cum huiusmodi conditionibus. Cum conditionibus admitti posse collegia, diserte traditum est primo capite quartae partis Constitutionum et declaratum. Hoc loco additur de Universitatibus, de quibus etiam nominatim dicitur undecimo capite quartae partis. Quae cum ita sint, consulte in primis est et caute animad-

vertendum, ne quicquam admittatur in conditionibus, quod ad impuritatem aliquam interpretari possit paupertatis; quam adeo districte profitemur. Id fiet si doceamus fundatores, atque ipsis persuadeamus, ut purum animi propositum habeant, et conditiones ipsi non exigant, sed tantum in eleemosynam sincere offerant collegium, et dotent; Societatem optima fide suis collegiis esse circumscripturam conditiones ex formula, quam, pro ratione temporum, Societas praescribet, vel Congregatio generalis, vel Generalis Praepositus. Est autem a Societate diligentissime providendum, et a Generali Praeposito in fundatione collegiorum, ut fundatorum desideriis plenissime satisfiat, quod eo quidem est maiori fide praestandum, si nostrae fidei suam fundationem committant; et illud non minori diligentia curandum, ne ullo prorsus tempore, nostri successores abuti bonis collegiorum possint; qui si non praestent ea, quae praescribet Societas agenda in fundatione, sciant se iniuste accipere, quae accipiunt, et teneri ad restitutionem saltem pauperibus, et dignos se facere, a quibus dotationes collegiorum auferantur, et dentur aliis religiosis hominibus, qui ferant fructum spiritualem in Ecclesia Dei. Sed haec, spero, nunquam evenient. Nam si in aliqua Provincia huiusmodi aliquis abusus irreperet, illum non negliget Generalis Praepositus emendare. Quod si forte negligeret, non negliget tamen Societas per Assistentes vel Provinciales Generalem admonere sui officii, quorum admonitionem si negligeret, esset deferendus ad Summum Pontificem, et cogendus ut generalem Congregationem indiceret, ubi de reformatione ageretur Societatis. Sed haec hactenus, et quidem fusius quam fuit necessum. Zelus me

perpulit, quem oro enixe in visceribus charitatis in Christo Iesu, ut omnes quotquot in hanc gratiam vel vocati sunt, vel erunt, studiosissime induant, et retineant constantissime.

Sed si experimento. Vix evenire poterit, si nihil est dissimulatum, vel praetermissum in collegii fundatione, et dotatio plena ex formula praescripta perseveret, ut gravetur Societas. Verum, quia contingere potest, ut difficiliores conditiones admittantur, vel infirmior fieret dotatio, et doceret experientia esse gravius onus quam ut ferre illud vel possit, vel debeat Societas; ibi, si a Generali Praeposito non esset antea provisum, deberet generalis Congregatio providere, ut nihil detrimenti pateretur Societas. Non posset tamen aliter id facere, quam sua ministeria omittendo et simul emolumenta saecularia iis cedendo, quibus voluisset fundator; vel si nihil cavisset, praesertim admonitus, quandoquidem res censeretur posita in arbitrio Societatis, Generalis Praepositus vel Congregatio imminuet ministeria, et operas, vel omnino coniunget dotationem cum alio collegio tenuiori, vel faciet quod videbitur esse e maiori servitio Dei, et Societatis augmento; modo inde nil omnino professae Societati applicetur. Eo autem eventu esset respiciendum ad publicam aedificationem in Domino.

Utrum huiusmodi domus. Si de professis domibus hic locus exponatur, non propterea tamen intelligas in earum fundatione posse conditionem aliquam accipi, quod communiter dici videtur de collegiis etc. Nam certum est, ex secundo capite quartae partis Constitutionum et secundo item sextae, id fieri non posse. Aliam igitur oportet causam esse, si relinquenda sit domus

professa, non quod fuerint receptae graviores conditiones.

Transferre, vel dissolvere. In secundo capite quartae partis Constitutionum, et paulo antea, de hac re dictum est, de qua tamen hoc loco libet rursum pauca adiicere. Fuerat huiusmodi alienatio, vel translatio primum posita simpliciter in facultate, non solius Praepositi Generalis, sed Societatis, ut constabat per declarationem in praedictum caput et aliam declarationem in praesentem §. Haec ultima declaratio fuit a P. Ignatio expuncta, et absque illa acceptae et confirmatae Constitutiones a prima Congregatione generali; illa vero in secundum caput quartae partis fuit ab eadem generali Congregatione emendata, ut intelligamus posse quidem ex causa relinqui collegia, vel domos semel erectas a Praeposito et Societate simul, sed tunc nil eorum, quae relinquuntur, posse alio transferri, nisi id e ratione fundationis sit situm in facultate Societatis: fundatores igitur legem suis rebus in eum eventum praescribent. Quod si non fecerint, praesertim admoniti, Societatis erit, si fundationem reliquerit, de bonis fundationis iuxta suum Institutum ad maiorem Dei gloriam disponere; proxime tamen, quoad eius fieri poterit, respiciendo ad desiderium fundatoris. Et haec quidem difficiliora erunt in domibus probationum, et collegiis, quae obtinere possunt redditus. In domibus professis minus erit negocii, nam fere nunquam erit causa dissolutionis, cum nullam omnino conditionem possint subire; tum si quid eveniret, quapropter videretur domus aliqua professa relinquenda, solum erit de domo, Ecclesia, et bonis mobilibus disponendum. De his igitur rebus diligenter sunt fundatores admo-

nendi: posse Societatem relinquere fundationem ex causa pro suo arbitratu iudicanda, ipsum posse in eum eventum constituere quid agi de tota dotatione velit; Societatem nolle quidquam tunc de eius dotatione retinere, nisi ex eius voluntate; et de domo quidem, et Ecclesia similiter fiet, ut in declaratione secundi capitis quartae partis dictum est. De mobilibus erit maior libertas, quae solent absque conditione donari; et tamen haec viderentur in pauperes vel opera pia eiusdem loci, bona saltem parte, eroganda. Tum exponendum illis erit, in ipsis esse situm ut nunquam relinquat Societas fundationem. Nam, si plena sit et firma dotatio, nunquam est illam relictura Societas; si tenuiter agat fundator et infirme, periclitabitur eius fundatio.

Ut in quarta parte. Quod attinet ad dissolutionem collegiorum, id dictum est in secundo capite quartae partis Constitutionum, et Declarationum. Quod vero non possit ne Societas quidem universa facere, ut bona collegiorum convertantur in usum professae Societatis, id variis locis statuitur in Examine, in quarta parte, in sexta, in decima, et firmissime est auctoritate Apostolica stabilitum in diplomate ipso confirmationis.

Quoad eius fieri poterit. Assistentium, Secretarii, et Procuratoris generalis poterit facile; Provincialium Italiae posset etiam non adeo magno negotio; aliorum vix poterit. Nam solet accipi haec conscientiae declaratio in confessione. Operae pretium igitur esset, si omnium, quotquot intererunt in Congregatione generali, audiat aperitionem conscientiae Generalis Praepositus, et quorum non audierit conscientias, eorum curet audiri a Commissario, si quis fuerit, vel a suo Provinciali.

Quae ad Praepositum. Omnia quum possit Gene-

ralis, quae faciunt ad finem Societatis consequendum, praeter ea, quae tamquam graviora excipit formula Instituti, in illis omnibus praecipere poterit in Christo Iesu. Condere, vel immutare Constitutiones, non poterit absque Congregatione generali; alienare domos, vel collegia semel erecta, item non poterit absque decisivis suffragiis eorum, qui eam habebunt potestatem. Sunt item alia, quae Generalis non poterit solus, ut Assistentes mutare, vel eum, qui illum debeat admonere, quae sibi iam reservavit Societas; poterit autem et alia sibi reservare. Contingere etiam et alia poterunt adeo gravia, et quae ad universam attineant Societatem, quae nullo pacto debeat absque generali Congregatione transigere Generalis.

In obedientiae virtute. Est hispanice simpliciter *in obedientia,* quod aliud est. Nam in virtute obedientiae si praecipiat Praepositus, obligare intelligitur ad peccatum. Qua de re hoc loco non ageretur, sed simpliciter de obedientia.

Vel rescindere. Si quid egerint in Societate, quod Generali recte atque ordine actum esse non videatur, id absque controversia rescindere poterit Generalis pro suo arbitrio; quae autem cum externis transegerint, speciali Generalis mandato, nisi manifestus intercedat error, vel commissionis excessus, ea rescindere non poterit, etiam si ita fuissent illa transacta, ut reservata essent confirmationi Generalis, quod videtur nunquam omittendum. Nam alias Generalis bona fides apud externos constare non poterit; et tamen providenter constituitur, quae aguntur a Visitatoribus, Commissariis etc. a Generali Praeposito posse et confirmari, et infirmari.

IN QUARTUM CAPUT NONAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Facultas, vel providentia. Iurisdictionem utcumque intellige; et de iurisdictione quidem Societatis in Generalem initio praecedentis capitis est annotatum. Societas igitur habet per generalem Congregationem actu iurisdictionem in Generalem; potentia vero ubi non est congregata. Nam congregare se ipsam in certis casibus potest; debet etiam in aliis a Generali congregari. Actum etiam alioqui huius iurisdictionis obtinet Societas non congregata per Assistentes in iis duntaxat, quae hoc capite, et sequenti exponuntur.

Et expensarum quarumcunque. Quo in genere sunt personarum, quae illi inserviant, numerus; amplitudo habitationis, et ornatus; iumenta etc.

Vel rigore nimio. Cum hoc videtur esse coniunctum, si Generalis e contrario nimiae laxitati, ac dissolutioni indulgeret, quod propterea non explicatur quod nunquam futurum credatur. Itaque propter honestatem praetermissum est, vel quod in superiori capite intelligatur.

Superior. Generalis scilicet.

N. *Teneatur* — V. *Admonere debeat.* Non ut privatus, quod potest quivis; sed ut publica persona ad id a Societate publice constituta. Propterea maiorem auctoritatem ea monitio habere debet apud Generalem, et circumspectius est ab admonitore concipienda.

Neque videretur esse exercenda, nisi prius re communicata cum Assistentibus, si res non esset, quae ad confessionem attineret, vel quae alioqui a solo admonitore videretur et concipienda, et tractanda.

Sive ille sit eius confessarius. Hic admonitor debet esse a Societate deputatus, sive eligatur qui sit confessarius Generalis, sive alius; sed rationi consentaneum videtur ut sit unus ex Assistentibus, tum propter auctoritatem maiorem, tum propter rerum notitiam. Et probarem quidem magis, ut non esset confessarius, propter libertatem admonitionis etiam in foro exteriori, in quo foro constituitur admonitor a Societate; simul ut suspicio irrepere non possit quod ex scientia confessionis sacramentalis illa admonitio proficiscatur. Nam in interiori foro confessionis nil dubium, quin admonendus sit Generalis a suo confessario. Ad ipsum etiam confessarium referre possunt Assistentes, vel admonitor de Generali. Ceterum si hic admonitor vel moreretur, vel abesset longius propter res magni momenti, de substitutione ita agetur, quemadmodum sequenti capite dicetur de Assistentibus; quod postea decretum est in tertia Congregatione; ut in secunda, eligendum ex quatuor votorum professis a Congregatione, intervenientibus etiam procuratoribus.

Sine consensu Societatis. Non esset propterea necessum congregare Societatem, sed consulere eos, qui habent ius suffragii; de quibus dictum est in annotatione secundi capitis Declarationum quartae partis: et tamen nunquam erit necessum, ne ad illos quidem scribere. Nam non possunt consentire, nisi cogantur ex obedientia Sedis Apostolicae. Quemadmodum autem sint cogendi, ad nos nil attinet. Sed hoc tantum nobis

curandum, ut impediatur haec electio pro virili nostro in Domino.

Ut valde negligens, vel remissus. Dubitatum fuit in generali prima Congregatione, num, si negligentia vel remissio contingeret ex causa voluntaria, non tantum ex senectute, vel morbo, posset similiter Vicarius substitui Generali. Et responsum est, nullum esse explicandum casum de remissione voluntaria Praepositi. Voluntaria igitur remissio, vel negligentia si obveniret tam insignis et obfirmata, ut inde detrimentum Societas pateretur non contemnendum; ibi per admonitionem fraternae correctionis esset procedendum, et tandem deferendus esset ad Summum Pontificem Generalis per Assistentes, vel Provincinciales, et ad id insistendum, ut vel Generalis resipisceret, vel omnino per Congregationem generalem Societati consuleretur.

Spe emendationis. Haec emendatio si referatur ad infirmitatem, et senectutem, ut indicare videtur autographum hispanum, erit huius spei iudicium penes medicos peritos et probos, cum Assistentium observatione: si ad gubernationem, partim ad ipsos Assistentes, partim ad Praepositorum Provincialium maiorem partem spectabit.

Unde multum detrimenti. Huius rei iudicium erit in maiori parte suffragiorum Assistentium, et Provincialium positum, quos faciet certiores Praepositus ipse, vel Assistentes.

Sive ipsemet Praepositus. In hoc rerum articulo si legitime eliget Praepositus Vicarium, non erit tamen is Vicarius, nisi approbante maiori parte suffragiorum Provincialium.

Sive illi cum approbatione. Si Generalis vel non

posset, vel omnino nollet eligere, ibi electio erit Provincialium ad plura suffragia, cum approbatione tamen etc.

Duorum Praepositorum localium, vel Rectorum. Cum non habeant ius eligendi Generalem Rectores, qua huiusmodi, ac ne Vicarium quidem pro demortuo Generali, mirum videri potest, quod hoc loco admittantur in suffragium; sed mirum tamen non est. Nam haec potestas gubernandi est quidem penes Generalem, sed tamen exercetur a Vicario. Itaque exercitium datur potestatis, vel participata quaedam potestas Vicario, non ipsa potestas; in illis electionibus utrumque datur. Hoc igitur minus est: quare nil mirum si ad Rectores etiam attineat. Iam quod dicitur approbandus a duobus Praepositis localibus, vel Rectoribus, ne intelligamus esse in arbitrio Provincialis nominare, qui sint approbaturi, aut incertum, an hi sint Praepositi an Rectores; sed ratio haud dubie habita est huius initii Societatis, quando paucae sunt domus professorum, pauci Praepositi locales. Nam anno 1560 quo haec scribuntur, duae tantummodo sunt professae domus, Romana et Ulysiponensis. Sic igitur intelligimus, in qua Provincia erunt Praepositi locales, in ea duo ex eis antiquissimi ius habebunt approbandi Vicarium. Ubi hi deerunt, Rectores illud ius habebunt, nec carebunt suffragio Assistentes in Vicarii electione, sive Generalis eligat, sive Provinciales, ut diximus.

Cum ea facultate. Id est cum eo facultatis exercitio, vel cum ea facultatis participatione.

Quae Generali. Cum approbatione maioris partis Provincialium.

Vel ipsi Societati. Provincialium scilicet et eorum, qui ius habebunt approbandi, maiori parte.

Peccata mortalia. Dubitari hoc loco posset, num propter alia peccata mortalia, quae in actum externum exeunt, aliquibus, quae hic nominantur, graviora; ut propter blasphemiam, proditionem, schisma, periurium, falsum testimonium, essentialia impedimenta, quae tacuisset in examine, et alia id genus; sit in iudicium Societatis vocandus Generalis, et officio privandus, quemadmodum propter ea, quae nominantur. Nam videtur exemplum hoc loco dari, non etiam praecisive, vel exclusive de his dici. Et ratio quidem constitutionis illud videtur efflagitare. Tamen, quandoquidem odiosae constitutiones sunt potius restringendae, quam ampliandae; sic videtur Societas semel expressisse peccata, propter quae possit, et debeat abrogari Generali officium, ut haec intellexerit tantummodo. Erit tamen ei liberum alia praeterea designare in Congregatione generali; quod donec fecerit, haec sola habebuntur, propter quae sit Generalis abdicandus. Quod si tanta esset enormitas aliorum peccatorum in Generali Praeposito, quod Christus avertat, si tantum scandalum propterea excitaretur, ut dissimulari non posset, vel deberet; esset ad ordinaria iuris communis remedia confugiendum, quibus emendari Generalis posset; vel deberet cogi, ut congregaret Societatem, in qua Congregatione ageretur de eius correctione, vel etiam depositione: quod in deplomate Pauli III 1547 designari videtur, ubi dicitur: et aliis, prout personae deputatae praedictae id in Domino conspexerint salubriter expedire.

Copula carnalis. Per hanc intelligantur aliae species omnes luxuriae, quae in actum prodeunt exteriorem.

Ex redditibus collegiorum. Sub redditibus bona omnia collegiorum intelliguntur; sub collegiis domus probationum.

Ad proprios sumptus. Suos scilicet, vel omnino Societatis professae.

N. *Pravam* — V. *Vel depravatam doctrinam.* Mala doctrina est hispanice, quo verbo intelligitur doctrina in fide depravata; sed quo in gradu sufficeret depravata doctrina esse Generalem infectum, ut esset propterea deponendus, id ego simpliciter exponerem: quì in impedimentum primum ex quinque exclusivis incideret, eum esse propter depravatam doctrinam deponendum, etiam si haeresis esset nationale peccatum, non solum personale: atque adeo si antea in illud, vel in aliquod ex reliquis quatuor incidisset, etiamsi cum dispensatione fuisset admissus ad Societatem, eum existimo eligi non debere Generalem propter insignem impedimenti notam; is enim, nisi ex privilegio, ad Societatem recipi non potuit. Quare non est rationi consentaneum, ut qui precario, ac non pleno iure est ad Societatem admissus, hic illam sit gubernaturus.

Si de re sufficientissime. Non est satis, ut in actualia huiusmodi peccata incideret Generalis, sed in foro exteriori necessum est, ut constare possit non utcumque, sed sufficientissime ad iudicium Societatis; ut res est gravissima, et vehementis scandali.

IN QUINTUM CAPUT NONAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Considerare, et efficere. Non intelligitur alia hic Provincialibus data auctoritas in Generalem, quam quae superiori statutum est, et explicatur in hoc capite: nisi dicamus esse Provincialium item providentiam et curam in Assistentes, si suas partes non agant pro dignitate, ut illos admoneant officii sui, tum ut Generalem etiam graviter admoneant, si quid Societatem offenderet.

N. *In iis* — V. *Deinde in iis.* Nil respondet hispanice illi adverbio *deinde*, ac ne ad sensum quidem. Nihil enim aliud, quam explicatur per partes, quod superiori § dictum in universum est; quare ad sensum sic commodius verteretur, *in iis igitur etc.*

Et res alias minus graves. Paraphrastice redditus est locus, qui est hispanice *otras cosas ligeras*, idest alias res leves; sed paraphrasis ambigua est. Nam *minus graves* si referatur ad superiora duo, res non constabit. Non enim tertium hoc caput est minus grave, quam superiora duo. Quare sive illa paraphrasis retineatur, sive simpliciter vertamus, res intelliguntur aliae praeter eas, quae ad sumptus, et corpus Generalis attinent; ea vero sunt omnia, quae circa eius officium, vel personam contingere possunt; praeter reliqua, quae tribus ultimis capitibus continentur, ut res tota dividatur, et in duobus capitibus primis Assistentes

suo iure dicere sunt obligati et facere in Generalem, quae illis in Domino videbuntur; in tertio dicere solum, idest admonere per personam deputatam; in reliquis tribus, quae sunt gravia, tenentur facere quae partim praescribit diserte constitutio hoc capite, partim tacite innuit hoc et praecedenti. Nam quod ad sextum caput attinet, plane debent Assistentes ad Congregationem generalem vocare Provinciales. Quod ad quintum, possunt ad Conventum generalem evocare, vel Provincialibus demonstrare, ut suffragia dent ad Vicarium eligendum: ubi quartum eveniret, et consensus Societatis esset requirendus, id facerent Assistentes. Sin absque eo consensu acciperet dignitatem Generalis, vel plane a Summo Pontifice ad dignitatem adigeretur; deberent item Assistentes ad Congregationem vocare Patres, nam omnino esset novus Generalis eligendus. Ex his facilius intelliguntur, quae et initio huius capitis et praecedentis dicuntur de providentia Provincialium, et Societatis in Generalem.

Qui discretione, ac zelo. Adde, ut literis et aliis omnibus Dei donis sint clari, ut sequenti capite traditur.

Dicere, ac efficere. Fuit hic locus controversus in prima Congregatione generali. Nonnullis videbatur utrumque et dicere, et efficere, referendum non solum ad tres illas res coniunctim, sed separatim ad singulas, ut simpliciter verba sonare videntur. Itaque in rebus tertii ordinis, ut dicerent quidem Assistentes per deputatum a Societate admonitorem; facerent vero non ex iurisdictione ut illi praescriberent, sed si quid accideret gravius, quam ut ferri a Societate posset, ut eum deferrent ad Provinciales; et illos admonitores si

non audiret, ut possent Societatem congregare, et cogere Generalem, ut causam diceret. Aliis, et maiori quidem parti, contra visum est, nimiam hanc Assistentium auctoritatem esse futuram, et unde posset captari occasio agendi adversus Generalem non satis considerate, et turbari statum gubernationis. Quocirca in haec verba decrevit Congregatio: τὸ dicere, et facere, interpretandum esse, ut coniunctim ad tria referatur; facere quidem, et dicere ad duo priora; dicere tantum, idest admonere per personam deputatam, ad tertium. Est autem intelligendum esse haec vel dicenda vel agenda ad plura suffragia Assistentium; et in paritate, ut sit praerogativa antiquissimi professi. Verum quid esset remedii, si, quod Dominus avertat, contingeret Generalem fieri moribus ita depravatis, sive privatim in persona sua, sive publice in gubernatione Societatis, ut detrimentum pati aperte videretur non contemnendum Societas; et tamen in nullum peccatum incideret, propter quod convocari posset Societas? Illud scilicet esset remedium, quod iuris est divini, ut admoneretur gravissime et ab Assistentibus et a Provincialibus Generalis; et si non resipisceret, ut ad Summum Pontificem deferretur, et cogeretur Congregationem indicere, apud quam diceret causam et se se purgaret ab obiectis criminibus, vel omnino alius eligeretur.

Circa tria prima. Cum exposuerit Congregatio prima tertium illud caput solius admonitionis esse, et eam. solam ad Assistentes pertinere per deputatam personam a Societate, et simul constet ex superiori capite deputatam illam personam posse per se illud munus exercere; colligere licet, primum Assistentes, qua huius-

modi, non posse publica Societatis auctoritate admonere Generalem hoc genere admonitionis, sed Generalis admonitorem in hac re habere organum, ac ministrum, qui de eorum, vel maioris partis, sententia debeat admonere Generalem, et referre scilicet ad Assistentes quid Generalis responderit. Colligitur praeterea, quod in constitutionibus huius loci annotabam, esse commodissimum, si admonitor eligatur unus ex Assistentibus, tum propter rationes ibi praescriptas, tum ne tot personae ius habeant in Generalem. Haec quum ita sint, non tamen abrogatur facultas Assistentibus, quam illis in sequenti capite dat Societas, ut possint referre ad Generalem, rebus inter se tractatis, de quibus velint etc. Sed fit, ut Assistentes in rebus quidem gravibus, et tribus ultimis capitibus facere debeant, quae praescribuntur a Constitutionibus; et in aliis rebus sint admonitores ex communi consilio per deputatam personam: et alias deputata persona deberet, si quid in Generali desideraret, quod per monitionem non esset assequutus, de ea re referre ad Assistentes, ut eorum auctoritate, si videatur fore utile, uteretur ad illud rursus Generali repraesentandum.

Eorum erit, qui Praepositum eligent. Non igitur habebunt suffragium Procuratores in hac electione. Tametsi post electionem Generalis Assistentes sunt eligendi, quum solent Congregationibus interesse Procuratores. Et sunt quidem omnino eligendi Assistentes denuo. Nam priores censentur, electo Generali, esse abrogati, quod ex hoc loco colligitur, et significatur apertius in prima Congregatione generali.

Quod si mortem obiret. Vel si in morbum incideret, unde ineptus fieret ad suum officium praestandum absque spe convalescentiae.

Diutius. Hoc tempus difficile est definire: erit igitur huius temporis definitio Generalis; probatio vel improbatio Provincialium.

Propter causas graves. De his iudicabit non solum Generalis, sed Assistentes ipsi, et Provinciales, si illae fuerint in arbitrio Societatis positae. Ubi vero resciret Generalis Praepositus aliquem Assistentium esse mittendum a Summo Pontifice; ea modestia, qua decet intercedere apud Summum Pontificem posset, atque adeo deberet, et alium offerre idoneum, ac rogare, ut eum potius, quam Assistentem mitteret; qua de re egit prima Congregatio generalis.

Non repugnantibus Provincialibus. Diutius a se amandare aliquem Assistentem Generalis non potest, si repugnet missioni maior pars Provincialium; et eorundem fere erit censere, num sit mittendus Assistens. Nam si de tempore, quo abfuturus est Assistens, an diuturnum sit, iudicare illi possunt; parum differt, quin de omni tempore iudicare possint. Certe mihi omne tempus, quo abest a Generali Assistens, videtur diuturnum, nisi adeo sit modicum, ut pro nihilo sit reputandum; quod ex officio et auctoritate, quam dedit Societas Assistentibus, facile colligi potest. Consulte igitur faciet Generalis, nisi vehementer urgeret necessitas, si priusquam mittat aliquem Assistentem, faciat Provinciales de toto negotio certiores, et eorum sententias accipiat. Alioqui ex vi constitutionis sat erit, si nesciat illos repugnare. Dabit tamen se Generalis in periculum, quod sit revocaturus Assistentem, si illi repugnent, ubi rem intellexerint: et omnino quidem, si illis inconsultis miserit, debent fieri certiores de missione, praesertim si diutius sit abfuturus Assistens.

Qui cum approbatione omnium, vel etc. Omnium ex abundanti positum est. Non enim illud requiritur, sed ut ad maiorem medietate partem suffragiorum, ut debent eligi Assistentes, eligantur, et primo quoque tempore eligantur.

Simul atque res. Sed quibus constare deberet? Assistentibus scilicet, vel per se, vel aliorum relatu, et testimoniis. Nam Assistentes in hoc rerum eventu possunt, et debent congregare Societatem. Quando enim esset res notoria, necessum non esset expectare Assistentium convocationem: sed hac de re modo dicetur.

Cum duobus aliis. Eligendis scilicet per Congregationem Provincialem, quemadmodum iubentur, ubi, demortuo Generali, novus Generalis eligendus, ut constituitur quarto capite octavae partis Constitutionum.

Et si res divulgata. Ubi res esset publica, est hispanice. Si igitur non convocarent Congregationem Assistentes, ne detrimentum tam insigne pateretur Societas; Provinciales deberent alii alios monere, ac vocare ad Congregationem, et curare eligendos duos professos etc. Cavendum tamen est studiosissime, ne nisi in re plane manifesta et quae nulla tergiversatione possit negari, et ubi scandalum publicum ferri non possit, illud faciant; alioqui ad seditionem, et schisma pertinere res videretur, si res constaret quidem, sed non ita notorie. Curandum tamen per Assistentes esset, ut suo iure convocarent Societatem; id si Assistentes negligerent, agendum per viam correctionis evangelicae potius, quam in periculum danda seditionis ac schismatis Societas, et eo contendendum, ut auctoritate Summi Pontificis cogeretur Congregatio.

Ingredientur. Assistentes, Provinciales, et duo illi professi, quos hi curassent eligendos, ut dictum est.

Quatuor illi. Assistentes scilicet, qui simul erunt electores, ut est decretum in Congregatione prima generali.

Item is aggrediatur. Eum interpretemur antiquissimum professum Assistentium, nisi alius selecte de toto negocio esset ita instructus, ut illum censeret primo loco audiendum Congregatio.

Et accusatio dilucide explicetur. Absens primum Generalis est deferendus ad plenam Congregationem, et res tota explicanda; dein, illo intromisso, tota accusatio est illi denuncianda, ac danda pro se dicendi copia. Testes autem ipsi non sunt manifestandi, ut expeditior ac religiosior sit causae actio, ac sententiae pronunciatio. Nam illud summo zelo sunt curaturi Patres, ne conspiratione paucorum vel quavis iniqua ratione opprimatur Generalis. Ipse autem cum humilitate et patientia in iudicio versari debebit; et, si sciat esse veram accusationem, nil prorsus debet se excusare, sed dare gloriam Deo, et confiteri magno animi sui sensu et humilitate suum peccatum Societati, matri benignissimae.

Statim de alio eligendo. Non facit hic locus, ut debeant antea esse parata, quae sunt ad electionem Generalis necessaria: nam possent ea statim parari. Sed cum subdatur: *et si fieri possit, inde ne egrediantur, nisi habeat Generalem Societas,* ut fieri id posset, essent omnia paranda prius quae sunt necessaria ad novi Generalis electionem, ne aliud esset agendum, quam habenda oratio ab antiquissimo Provincialium, et dandum tempus orationi, unde ad scru-

tinia procedatur. Nam ea oratio, quae pro electione Generalis, demortuo priore, ante inclusionem habetur, praetermitti potest. Non enim certum tunc erit esse eligendum Generalem.

Et si fieri potest. Id fieri fortassis potest, ubi tam esset compertum esse abrogandum officium Generali, ut dubitari non posset. Tunc enim nihil aliud, quam proponendum esset crimen, et simpliciter dicendae sententiae. Verum si vel minima videretur esse controversia, nihil esset quod parati venirent ad electionem Patres; sed iudicium absolvant legitime, deinde egrediantur ad dandam operam debitis praeparationibus ad electionem. Nam alioqui fieri vix possent seriae informationes, quae penderent e dubio. Adde quod fieri posset, ut inciderent in disceptationem in iudicio, et paterentur magnam distractionem electores, quos tamen oporteret ad spiritum esse collectissimos. Atque adeo, ne in eo quidem eventu, quem dixi, esset statim eligendus Generalis, ne miscerentur duo gravissima negocia, neve in re etiam, quae videretur indubia, aliquae oriri fortassis possent difficultates: et tamen Congregatio ipsa de ea re poterit iudicare, an fieri posset electio, et praescribere, ut ante iudicium fiant praeparationes. Certe illud non poterit praetermitti, ut Assistens, et Secretarius pro actione illius accusationis eligantur, antequam de ea agatur.

Si defectus deprehensi non fuerint. Si tales non fuerint deprehensi defectus, unde mereatur deponi Generalis, sed tamen emendari; quod varie accidere potest, vel quod res non sit plane probata, vel quod tot non sint suffragia, quot sunt necessaria ad condemnationem; sive alio quovis modo non sit plane

purgatus, sed aliquid illi haereat suspicionis, tunc illi sunt quatuor eligendi etc.

Si accideret Praepositum. Non intelligamus propter huiusmodi inutilitatem necessario esse congregandam Societatem, quod constat ex superiori capite. Sed ubi congregata Societate haec inutilitas deferretur, ibi esset agendum, quemadmodum hic constituitur; vel omnino ubi insignis esset inutilitas Generalis, et detrimentum Societatis magnum propter eius infirmitatem vel senectutem, et nec vellet ipse substituere sibi Vicarium, nec permitteret, ut Provinciales eligerent iuxta constitutionem superioris capitis; censerem in eo rerum eventu posse Assistentes Congregationem cogere, vel etiam congregari Provinciales et Societatem, quemadmodum superiori § dictum est. Nam alioqui nullus erit fere huius § effectus. Nunquam enim fiet, ut in generali Congregatione agatur de huiusmodi inutilitate. Neque enim est facile sperandum ut congregaret Societatem Generalis inutilis etc. Adde, quod non solum initium huius capitis hoc ipsum significare videtur, sed etiam declaratio huius § et sequentis, siquis diligentius attendat. Quod si hoc non placeat, omnino est ad correctionem fraternam et delationem ad Summum Pontificem deveniendum, et curandum, ut generalis Congregatio coeat: si non providissent triennales procuratores, et res ita urgeret, ut procuratores non viderentur expectandi.

Quamdiu vixerit. Potestatem plenam obtinebit Generalis Praepositi Vicarius, quoad ille vixerit; nomen non usurpabit, Generali vivente, nec mortuo, nisi eligatur in Generalem. Ceterum, an mortuo Generali idem ille sit futurus Vicarius Societatis, vel alius

eligendus, dubium esse potest. Sed res ipsa indicat hunc eundem etiam Vicarium, mortuo Generali, futurum. Nam ante mortem naturalem iam censetur officio mortuus Generalis. Praeterea hic Vicarius eligitur longe maiori consilio, et auctoritate, quam per mortem Generalis eligi solet; quare pleniorem habebit electionem. Neque est aliquis, qui mortuo Generali illum possit abrogare. Verba tamen huius loci videntur ingerere difficultatem. Videntur enim sonare Vicarium integram habiturum potestatem Generalis, solum quamdiu ille vixerit; sed tamen exclusionem addere vel intelligere, non est necessarium; sed simpliciter ita intelligendum, ut solent huiusmodi particulae exponi, ut non sint exclusivae, sed expediant illud, in quo erit difficultas; reliqua tanquam non controversa relinquant ex communi hominum sensu intelligenda: qualis est locus Scripturae, *et non cognoscebat eam donec* etc. Expedit Matthaeus et exponit in quo esse poterat difficultas, ut ante non cognovisset eam Ioseph, nam postquam peperisset Deum Virgo sacrosancta, quis dubitare potuit, quod illam attingeret? Itaque de hac re nil agit; similia sunt multa exempla in Scriptura. Neque vero obstat, quod in quarto capite octavae partis dicitur eligendus Vicarius: nam apertum est intelligi, nisi sit legitimus Vicarius. Et certe si Vicarium Generalis vivens eligisset, nullus esset qui de hac re disceptaret. Quis igitur de eo Vicario dubitet, qui a tota Societate legitime fuerit electus? Haec etiam si urgere videantur, tamen simplicitas phraseos constitutionis aliud videtur indicare.

Quam ut plurimum. Nullum moveat hic locus, quasi significetur posse aliquando constare officium

Generalis cum externa aliqua dignitate. Constantissime enim illud tenendum est, quod superiori capite dixit constitutio, necessario esse officium reliquendum, ubi dignitas aliqua accederet; quod ratio necessaria conficit. Nam fac Episcopum, vel Cardinalem esse Generalem. Primum non poterit ius suum obtinere in illum Societas, vel difficillime poterit, neque per Assistentes, neque per Provinciales, neque per generalem Congregationem. Deinde is praeerit Societati, qui longissime aberit a Societatis Instituto, sive ad honorem spectes, sive ad redditus, et iusdicendum. Praeterea, qui poterit Societati gubernandae totam curam tribuere, qui totam debet dignitati? Sed ego moror otiose in re manifestissima, quasi verear ne id aliquando evenire possit, quod planissime non potest, nisi profanetur universa Societas; quod Christus Iesus pro sua misericordia avertat. Quorsum igitur spectat illud *ut plurimum*, quod est hispanice *comunemente?* Ego quidem confirmate ita interpretor in Christo Iesu: communiter, hoc est, si iuri nostro relinquamur, et nulla externa vis cogat, simpliciter fieri non posse; sperandum autem Sedem Apostolicam nunquam iussuram, ut aliter fiat: vel intelligatur illud communiter ad alios referri. Non enim potest communiter in aliis Religionibus esse Generalis, et simul aliam dignitatem obtinere. Quod igitur apud alios communiter fieri non potest, apud nos plane non potest. Utcumque interpretemur; mallem tamen omnino, ut illa particula a Congregatione expungeretur.

IN SEXTUM CAPUT NONAE PARTIS CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ut particularis persona. Societatis scilicet.

Licebit, et non aliter. Cum non sit proprium Generalis Praepositi officium concionari, etc. sed universum Societatis corpus gubernare; si, quemadmodum totum requirit hominem haec gubernatio, nec sat est ad eam futurus unus homo, ut hoc capite profitemur, ita se totum illi det Generalis; fiet haud dubie, ut concionibus etc. dare operam non possit, nec debeat, atque adeo semper experietur tempus sibi deesse, vires, ingenium, memoriam. Si igitur aliquid ab hac cura divertat, id adeo sit modicum, ut nihil illam curam laedat. Nullam igitur aliam occupationem graviorem habeat, nisi orationem; adhibeat etiam veram ac necessariam recreationem. Animadvertendum vero est Generali Praeposito, ne naturali inclinationi indulgeat, vel praeteriti temporis consuetudini, et illo exercitio existimet nihil se impediri, quo re vera impeditur, et retardatur.

Ad Dei et Domini nostri gloriam. Si quando simpliciter ad Dei gloriam legis in Constitutionibus, intellige ad maiorem. Nam ea fuit P. Ignatii mens, ut quae statueret ipse, et quae nos faceremus, ea omnia ad maiorem Dei Domini Nostri gloriam conferrentur, atque dirigerentur cum perfectionis pura intentione; et illud quidem hoc loco necessum non fuit addere, quod per se subintelligitur.

Praepositos inferiores. Sub his intellige totam subordinationem Superiorum.

Aliquando tamen. Non erit hoc rarum, nec solum propter notitiam maiorem, vel rerum eventus, sed ordinarium, et frequens, ut agat cum Rectoribus, et Praepositis localibus Generalis; tum ut cognoscat exactius quae aguntur in collegiis et domibus, tum ut intelligere possit quemadmodum a Provincialibus gubernentur Rectores, Praepositi, collegia, domus; si qua in re durius agatur a Provinciali, vel remissius, vel negligentius; si quid ab illo impetrare nequeant etc. Ita enim poterit omnia Generalis suaviùs disponere, ac fortius in Domino. Et huc quidem spectat quod frequenter primo capite octavae partis Declarationum iubeantur Rectores ac Praepositi ad Generalem scribere; et debent quidem extra ordinem scribere quoties urgebit necessitas. Cum particularibus tamen personis non aget ordinarie Generalis, sed ubi postulabit vel personae qualitas, vel ministerium, vel alioqui necessitas, aut singularis aliqua causa.

Quoddam eorum compendium. Sub his intellige, ut habeat Constitutiones Generalis, decreta Congregationum, regulas omnes non solum communes, et generales, sed alias praeterea omnes, et earum accommodationes ad particularia loca. Habeat praeterea, quae ipse respondet Praepositis vel Rectoribus, quae quidem ad gubernationem pertineant, et omnia, quae sub obedientia extra ordinem praecepit: traditiones sciat maiorum, consuetudines probatas Societatis, non solum communes omnium, sed quae esse solent particulares in collegiis, et domibus diversarum Provinciarum: et simpliciter quidem intelligere debet omnes consuetu-

dines sive approbatae sint, sive non sint; ac Patrum praeterea, et Societatis acta iam inde a Patre Ignatio, et eius conversione, et poenitentia. Ex iis enim magnum spiritum, singularem lucem, auxilium eximium comparabit ad gubernandam Societatem in Christo Iesu.

Cum suis redditibus. Et his, quae redditibus aequivaleant: si quid vendiderint praesertim stabile, si quid item stabile emerint, si quid aedificaverint. Complectetur vero catalogus non haec solum, sed obligationes etiam, si quae fuerint. Praeterea quas disciplinas nostri profiteantur in collegiis, quot lectionibus, et praeceptoribus; qualem habeant Ecclesiam, quam bene ornatam; quam commode habitent; si quem habeant suburbanum hortum, vel vineam; describere etiam non esset alienum aedificiorum rationem. Etiam de domibus professis oportebit Generalem ex catalogo intelligere, et quidem copiose.

Personarum omnium. Hic catalogus singularem praebebit Generali Praeposito lucem, et utilitatem: eum igitur colligent Superiores ex examinibus, et particulari cognitione. Verum unus poterit esse apertus, alium oportebit secretum esse, et certis notis contineri, vel nominibus commode assimulatis.

Si convenire videbitur. Quod haud dubie et videbitur, et erit necessarium, ut illa, quae vel immutata, vel addita, vel adempta fuerint, animadvertantur. Neque enim aliter constare posset catalogi ratio, vel usus, vel finis.

Et demum omnia. Rerum omnium statum, domorum professarum, collegiorum, domorum probationum, eorum, qui in ministerium mittuntur, negociorum, si

quae tractantur, sive ad res temporales attineant collegiorum vel domorum, sive spiritualia sint, magni praesertim momenti. Haec, et quae modo dicebantur, perspecta habebit omnia Generalis, his attendet, hi erunt Generalis libri, hoc studium, haec cura.

N. *Sexta.* — V. *In septima parte.* Est in autographo P. Ignatii in septima. Tota quidem septima parte agitur de ministeriis Societatis in proximum, in quibus cum haec occupatio nusquam sit, ut nostri gerere possint negocia saecularia, etiam si pia sint, propterea in universum citatur septima pars; tametsi referri locus possit ad ultimam § tertii capitis sextae partis Constitutionum; ubi et testamentarii esse prohibemur, et rerum nostrarum procuratores. Interdicuntur vero hoc loco in universum saecularia negocia, etiam si pia sint, providenter; ne ex huius pietatis occasione sensim a propriis Societatis ministeriis abducti, se foro, et toti saecularitati immisceant nostri. Alioqui sat videntur a nobis aliena quae saecularia sunt.

Magnopere occupari deberet. Nisi universali quadam cura. Itaque particularia ipse non aget immediate, sed de particularibus saltem in genere, vel etiam in specie, curabit ad se referri. Ita particularis gubernatio coniungetur cum principio gubernationis, et universali Generalis Praepositi gubernatione. Pertinet tamen ad generalem gubernationem, aliquando particularia sibi reservare ac curare, et ea praesertim, quae reformatione egere videntur, ut emendata rursus dentur ordinario Superiori administranda. Haec quum ita sint, tamen secunda generalis Congregatio decrevit, ut sit Generalis Praepositus domus Romanae Praepositus. Nec illud pugnat cum hac constitutione. Nam Minister

domus Romanae administrat particulariter, ut vivente P. Ignatio, et P. Laynez. Est enim alia ratio ministerii hic, et in aliis domibus, vel collegiis, et auctoritas maior.

In quos si totam curam non reiecerit. Intellige, etiamsi totam curam nunquam reiiciet, levabitur tamen cura immediata, ac particulari, tametsi mediatam atque universalem nunquam remittet.

Magna ex parte. In sua scilicet subordinatione, cum universa tamen gubernatio pendeat a Generali.

Et localibus. Sub quibus intellige Rectores, et Praefectos probationum.

Laborem cum illis etc. Etiamsi videatur significari, quod sui laboris, vel solicitudinis partem dividat cum aliis Generalis, non est tamen ita locus intelligendus; sed, quod per se agere non potest, nec debet, et tamen ad gubernationem attinet Societatis, id cum aliis committit, dicitur cum aliis laborem, vel solicitudinem partiri. Nam nunquam ita dividit Generalis laborem, vel curam, quin totus eius labor, tota cura, et integra gubernatio in ipsum incumbat. Neque enim partem proprii laboris vel solicitudinis debet aliis delegare, vel potest: quasi si videas causam superiorem, quae intima sit omnibus agentibus atque actionibus particularibus, solam veluti omnia agere, et tamen nihil hinc privari suis actionibus particularia agentia, quin potius iuvari, et esse efficacia ex illo principio. Haec in spiritu plenius intelliguntur. Ita gubernavit P. Ignatius Societatem; ita sapientissimus quisque Princeps, praesertim ecclesiasticus, suas debet Ecclesias gubernare in Christo Iesu.

De omnibus gravioribus. Non de iis solum, quae

alioqui videri possunt graviora, sed de omnibus, quae ad universalem gubernationem erunt vel necessaria, vel etiam utilia. Nam ea omnia intelliguntur esse Generali Praeposito graviora, ut quae debeant ipsi esse perspecta. Nec illi tempus deerit, si illud commode, et ordinate distribuet. Unica enim eius occupatio haec erit, ut omnia studia, tempus, omnem animum, omnes vires applicet, partim ad orationem, partim ad Societatis gubernationem.

Habeat igitur necesse est. Non sunt haec tria ita scrupulose et formaliter separanda, quin possit unus alterius operationem exercere, non tamen alterius officii. Nam Secretario multa incumbent in suo officio exequi, non solum referre: Assistentibus non solum consulere, sed referre de suis Provinciis ad Generalem: Procuratori non solum exequi, sed referre, consulere, scribere. Sed de his suis locis dicendum est, et proprietas singulorum officiorum explicanda in Christo Iesu.

Qui pro memoria, et manibus illius sit. Libet compendio colligere, in quo versetur huius Secretarii officium. Et primum quidem non est hic proprie Secretarius Societatis, quamvis ita appelletur. Neque enim eligitur a Societate; sed Generalis est proprie, et a Generali eligitur. Deinde, quae hoc loco dicuntur, sunt sub arbitrio Generalis posita; modo quae substantialia officii Secretarii sunt, ea non praetermittantur. Extensio vero officii, sive commissiones, et usus pendent a Generali Praeposito. Ratio tamen huius officii haec est, ut in suo officio habeat Generalis, qui ipsi sit pro memoria et manibus ad omnia, quae scribenda, et tractanda fuerint. Cuius loci est sensus, sic-

uti colligitur ex declaratione, ut ex omnibus litteris ad Generalem missis, facto compendio, ad ipsum referat Secretarius, et iuxta illius commissionem respondeat etc. Additur tamen extra ordinem, et rationem propriam Secretarii, ut de omnibus item rebus, quae ad Generalis officium pertinent, referat ad Generalem, hoc est in memoriam ei redigat; quod gravissimum est onus; et ut hanc partem officii possit praestare pro dignitate Secretarius, additur in Constitutione: ut induat personam Generalis, et, praeter potestatem, totum officii eius pondus humeris suis impositum esse existimet. Si locus hic intelligeretur, ut hoc onus sustineat, vel subeat Secretarius, quantum ad literas attinet, aut etiam scripturas alias, minus haberet negocii res: sed cum videatur spectare ad omnia; ne laqueus iniiciatur Secretario et maius onus quam subire possit, simul ne hinc negligentia Generali irrepat in cura officii sui, vel sinat agi et gubernari omnia per Secretarium, vel omnino ne hoc munere abutatur Secretarius ad arrogantiam: necessum videtur aliqua admonere. Primum, esse Secretarium hac in re purum relatorem, vel memoriae excitatorem; praeterea ius non habere suffragii consultivi, quale habent Assistentes. Itaque, ubi refert Secretarius ex officio, non debet consilium dare, quod est Assistentium, sed simpliciter res agendas recitare. Ad haec Secretarius Assistens esse non potest, nisi forte extra ordinem propter hominum penuriam, ut decrevit Generalis prima Congregatio. Praeterea non erit necessum illum esse professum quatuor votorum, sed poterit Coadiutor professus trium votorum, qua de re inferius dicetur. Adde, quod Generalis non hunc solum habet relatorem, sed

Assistentes; praeterea Procuratorem generalem. Haec cum ita habeant, satis constat, magnam partem huius relationis Secretarii attinere ad literas; ad alias vero res ita spectare, ut ab illo exiget Generalis Praepositus, cuius gubernationi utile non est, ut ab uno omnia intelligat. Generalis igitur nihilo erit negligentior propter auxilium, quod speret a Secretario. Nam ad hunc nec omnia pervenient; et si perveniant, non omnia fortassis intelliget; et si intelligat pro suo captu, plura tamen haud dubie, ex amplitudine officii et gratia, intelliget Generalis, nisi sibi desit. Continebit vero illum in humilitate et modestia Generalis, et non omnia ei secreta committet, ea praesertim, quae soli scribuntur, ad quae manu sua respondebit Generalis, nisi res patiatur per alienam scribi, quod situm erit in Generalis interpretatione; vel omnino poterit ita per Secretarium respondere litteris, quae soli scribuntur, ut ille non intelligat quorsum attineat, quod iubetur scribere; intelligat tamen is, cui respondetur. Postremo munus Secretarii pro personae, quae illud gerit, praestantia, ingenio, virtute, donis aliis Dei, amplificabit Generalis pro suo arbitrio in Christo Iesu. Haec visa sunt in hunc locum annotanda; et tamen dubium non est, hanc Constitutionem editam iuxta rationem praesentis illius temporis, ut de aliis dictum est.

Qui induat Praepositi personam. Onus hoc est Secretarii, non auctoritas; nihil aliud significatur, quam ut ea sit solicitudine, memoria et cura, ut referre possit ad Generalem de rebus omnibus, quae ad eius officium attinent, vel de litteris omnibus, vel omnino de iis rebus, quae illi a Generali Praeposito committentur. Induet enim personam, qua illum vestiet Generalis.

Hic Praepositi minister. Consulte quidem designantur hac § ea, quibus debet praeditus esse Secretarius, dona: sed ego plura etiam requirerem, et non pauciora, quam quae quarta parte exiguntur a Rectore; et illud in primis repeterem, ut esset vir plane spiritualis, et qui nullo humano affectu, nulla externa occupatione facile posset ab spiritus et devotionis rectitudine dimoveri; omnia vero ut tractaret spiritualiter, atque apposite ad rationem nostri Instituti, et gratiae. Novisse autem illum oporteret penitus Institutum Societatis, Constitutiones, traditiones, consuetudines Societatis, et acta omnia. Vir esse deberet gravis, secreti fidissimus conservator, solers ac vigilans rerum executor.

Et si fieri possit, doctrinae dono. Non est hispanice *dono*, sed simpliciter *doctrina.* Unde fit, necessarium non esse, ut professus sit quatuor votorum Secretarius. Nam nullus erit huiusmodi professus, qui non sit idem doctrina non mediocri praeditus. Et tamen Secretarium necessum est saltem professum esse trium votorum. Non enim decet eum, qui per professionem unitus non sit Societati, esse conscium omnium negotiorum.

Secundum auxilium, videlicet consilii. Est hispanice, *de aviso*, quod non tantum significat datum consilium, ubi petitur, sed oblatum etiam opportune, quae est plena ratio huius secundi auxilii.

Consideratione dividi. Non hoc solum, sed quod subditur, *in eis partibus dispiciendum, ac providendum, non sufficit,* demonstrat quorsum attineat ratio huius consilii, eo scilicet ut de rebus officii Generalis Praepositi ad ipsum referant consultores, non simpli-

citer, quemadmodum Secretarius, sed adhibita rerum consideratione, et consilio, quid agendum, fugiendumve sit.

Qui ei assistant. Ne intelligas plenum officium Assistentium hos omnes esse gesturos, eam scilicet partem, quae superiori capite exposita est, et quae nunc additur; nisi hoc tempore, ubi quatuor Assistentes a Societate electi utroque munere funguntur apud Generalem: nec plures adhuc erit necessum occupare insignes viros. Postea vero, si ita videbitur amplitudo Societatis, et negociorum exigere, augeri hic numerus poterit; qui vero addentur, hi in secundo hoc tantum munere assistent Generali; non erunt autem in numero illorum quatuor, de quibus superiori capite dictum est, atque adeo Assistentes non dicentur, sed Consiliarii, et mutari a solo Generali poterunt, ut etiam eligi, qua de re inferius rursum agetur.

Peculiari solicitudine. Peculiari quidem cura illis attendent, quae ipsis peculiariter commiserit Generalis; alioqui universali cura de tota ratione gubernationis si cogitent, nil facient alienum a suo officio. Audire vero debebit eos Generalis de rebus gravioribus, quod hac § exponitur.

Ut unus rerum indicarum etc. Haec distributio exemplum est, non praeceptio. Aliam enim facere potest Generalis, quod innuit constitutio; et primis quidem Assistentibus Provincias aliter divisit P. Laynez; secundis partim Congregatio generalis aliter, partim Generalis Praepositus Borgia. Dedit P. Laynez Portugalliae Indiam orientalem et Brasiliam. Idem fecit secunda Congregatio. P. Borgia coniunxit quatuor Provinciis Hispaniae Peruvium et Floridam, Indiae item occidentalis regiones.

Et sic de aliis. Hinc diserte intelligimus plures quam quatuor futuros esse hos Generalis Consiliarios iuxta maiorem Societatis amplitudinem, et tamen quatuor tantum erunt Assistentes.

Conferendum etiam cum aliis esset. Planius intelligitur sensus, si vertatur, *conferre etiam cum aliis deberent* etc. Hanc rationem consultationis voluit fere usurpari P. Ignatius ab iis, quos ad consilium adhibebat. Nam Assistentes non habuit: et id quidem existimo eum fecisse, vel propter insigne donum sapientiae, atque intellectus, et eximiam ingenii perspicuitatem, quae rationum multiplicitate, et disceptatione consiliariorum non indigebat; vel propterea quod ultimis annis vehementer externis viribus erat defectus ex infirma valetudine; vel quod plane hanc rationem consultandi magis probaret, nec vereretur in tanta perfectione et Instituti et Consultorum ea incommoda, quae illam rationem videntur consequi: res scilicet videri posse esse constitutas, et magnum praeiudicium comparatum, antequam ad Generalem referantur; negocium praeterea futurum prolixum, et fortassis contentiosum, si absque Generali disceptarent Consultores, et id genus alia. Haec utcumque habeant, scimus tamen usum P. Ignatii; videmus constitutionem; tum P. Laynez, qui post illum fuit Generalis, illam rationem scimus non esse sequutum, sed quotidianas habuisse Congregationes Assistentium, in quibus referret Secretarius, referrent etiam Assistentes de nonnullis; nonnunquam hos ipse consuluit privatim; hi item suggerebant illi, si quid habebant consilii; illos audivit, ac direxit disceptantes: quae ratio magnam habet coniunctam utilitatem. Nam cum consilio egeat Generalis,

et eo magis egeat, quod solus sit de rebus omnibus definiturus; ubi plenius consultantes, ac disceptantes audiet, eo maiorem adipiscetur lucem, ut iudicet, et inveniat, vel saltem eligat sententiam veriorem; eo maiori aget confidentia ac certitudine, atque eo circumspectius suo officio fungi videbitur, et Societati satisfacere. Haec quum ita sint, nec prohibeat constitutio, quin possint coram Generali suffragia consultiva dici ac disceptari, erit Generali liberum, num velit Consiliarios audire de rebus consultantes, an ad se referri, quid illis videatur. Non videtur tamen integrum, stante Constitutione, quin aliquando inter se de rebus agendis consulant Assistentes: verum si inter se consulant, absente Generali, erit necessum unum designari, qui praesit consultationi.

Vel etiam a Secretario. Ex praescripto Generalis Praepositi.

Superiori referantur. Ab eo, quem volet Generalis Congregationi illi praeesse, et esse relatorem. Is vero brevi compendio rationem consultationis exponet, et nervum difficultatis, ac lucem, quae per consultationem inducta sit, repraesentabit, sententias explicabit, eorum consensum et dissensum exponet. Verum id faciet, Assistente eo praesente, qui curam eius Provinciae habebit, cuius negocium agetur.

Et in universum. Non igitur erit sola illa cura Assistentium, quam ipsis commiserit Generalis, sed universalis alia, ut de rebus omnibus agere apud Generalem possint.

Huiusmodi Assistentes. Vocantur et hi Assistentes hoc tempore, quo iidem sunt Consiliarii, et Assistentes. Quod si plures essent, etiam appellatione distinguerentur.

Nunc quidem quatuor erunt. Confirmatur quod paulo ante dicebam, plures futuros aliquando, quam quatuor hos Consultores; plures videlicet quam quatuor Assistentes.

Cum eis tractandae sint. Non satisfaciet debito officii sui Generalis, nec certa erit ipsius sententia, ac definitio, si in rebus gravioribus suos non audiat Consultores. Si enim ipse deest officio, deseret ipsum divinae gratiae assistentia.

In tertio auxilio. Ad hoc auxilium proprie quidem pertinet negotiorum expeditio etc. Sed tamen simul erit necessum ut fungatur hic Procurator officio, quod Secretarii esse videtur, in iis rebus praesertim quae ad Procuratoris officium attinent, quas ipse tractat, et habet magis perspectas; ex iis enim, et plenius referet, et facilius ex commissione Generalis scribet; sed harum rerum censor erit Generalis.

Prudentia, fidelitate, dexteritate. Et insigni devotione, ac spiritu Dei praeditus, egregia animi pace et modestia, et qui passiones habeat eximie sedatas. Nam cum sit tam frequenter cum saecularibus, et de rebus fere saecularibus acturus; nisi magna spiritus virtute sit munitus, verendum est, ne tam frequenter concutiatur, ut stare non possit, quod illi detrimentum afferat, ac Societati scandalum.

Non tamen professus. Sapienter constituitur, ut Procurator professus non sit, sed coadiutor, quod tertio capite sextae partis Constitutionum explicatur; cum acturus sit Procurator de rebus saecularibus frequenter, et debeat iudiciis, et foro operam dare. Et haec videtur causa fuisse P. Ignatio, ut, nisi extra ordinem, eum non permitteret in domo professa habitare. Sed

contra in apertum periculum videtur Procurator dari, si totum diem inter saeculares, et negocia saecularia agat, nec possit tamen saltem domum se recipere inter Patres, et fratres, ubi vires spiritus reficiat, ac sustentet in Domino. Haec difficultatem utrinque iniiciunt, et tamen necessum est constitutionem servare. Ego ita censerem colligi posse ex hac constitutione, et eius declaratione, coniuncta penultima § tertii capitis sextae partis Constitutionum, ut cuivis procuratori sive generali, sive particulari in Societate interdicendum sit, ne causas agat; iudiciis et foro ne intersit; sed ad prosequendas lites, et res Societatis vel collegiorum defendendas, ut constituatur procurator aliquis saecularis. Reliqua vero negocia, ut diplomatum expeditiones, et si qua sunt praeterea quae honestius per nostros agi possint, ea possit noster curare. Verum haec etiam mallem per saecularem geri. Quid igitur, quorsum noster Procurator attinebit, quid aget, quo ministerio tuebitur nomen Procuratoris? Eo scilicet ut negocia omnia intelligat, disponat, dirigat, ad se curet de rebus omnibus referri, quasi ipse saeculares procuratores moveat, ac gubernet. Posset etiam ipse per se aliquid immediate agere pro rei necessitate urgente et gravi, modo ne in iudicium veniret. Haec si ita fierent, nihil esset incommodi, si in collegiis saltem habitarent Procuratores, nec putarem esse contra mentem P. Ignatii: qui enim negocia rerum saecularium nolebat immediate tractari per eum, qui in domo professa habitaret; eum, qui mediate tractaret, non fuerat prohibiturus vel in collegio, si eodem loco habeatur, vel etiam in domo professa habitare, si non esset collegium: nam et Generalem Praeposi-

tum, et Provinciales necessum est negocia tractare saecularia mediate.

Sed in alia, de qua dictum est in quarta parte. Quaenam sit futura haec domus, Generalis statuet particulariter. Nam in quarta parte tantum nominantur curiae Summi Pontificis, vel aliorum Principum; et esset quidem designanda separata domus, sed quae non distaret a nostra, vel etiam nostrae esset coniuncta, ut in quarta parte est annotatum.

Qui suis etiam auxiliis, et ministris. Auxilia, et ministros illi dispensabit Generalis, pro negociorum amplitudine, difficultate, numero, vel etiam plures constituet Procuratores, ut est in declaratione.

Sublevetur. Libet ad finem annotationum in officium Ministrorum Generalis admonere, et quidem toto animi affectu in Christo Iesu, quam necessarium sit singulari animi ac spiritus virtute, atque eximiis Dei donis praestantes esse Assistentes. Nam quum sint in Generalis Praepositi obedientia, tamen iudicium exercere possunt, et debent, ubi res postulat, in Generalem. Itaque eximia illa parte obedientiae, iudicii scilicet abnegationis, cum destituti esse videantur, aegre perfectionem obedientiae retinere poterunt, nisi excellenti quadam animi virtute, atque spiritus industria enitantur illam difficultatem superare: exerceant igitur humilitatis, atque simplicitatis perfectionem etc. Quod vero ad obedientiam attinet, animadvertant quid possunt ipsi in Generalem; eorum iudicium ex singulis non pendere, sed ex consensu maioris partis Assistentium. Quare singulares, etiamsi advertant animum deferendi ad alios Assistentes, nihil tamen interim iudicare omnino possunt. Consistant igitur singuli in

simplicitate cordis ac reverentia Generalis, quod ad se attinet, et suum iudicium, quod in consultationem adducunt, aliis ne praeferant; facilius autem continere poterunt singuli suum iudicium, ac reservare in aliis rebus, quas vel tantum ad monitorem referre possunt, vel ad Provinciales. Sic igitur temperare possunt illud quicquid est iudicii, quod ex obedientia erga Superiorem Societatis quasi coacti habent, si abnegatione utantur, ad aliorum suffragia illud referentes, quasi nunquam practice id adiudicaverint, sed speculative et viderint et dixerint. Hac ratione uti facilius poterunt alii inferiorum Praepositorum et Rectorum consultores, qui tantum referre debent ad Superiorem, nihil iudicii praeterea vel concipientes, vel reservantes. Similiter admonitores, nisi quod admonitor Generalis potest referre ad Assistentes, hi ad Provinciales; aliorum Superiorum admonitores ad consiliarios, hi ad Provincialem, vel Generalem. Omnibus autem et Assistentibus, et aliis Ministris est danda opera, et quidem accuratissima, ne familiaritas, quae ipsis cum Generali Praeposito intercedet, pariat in ipsis aliquem contemptum, vel minorem ipsius observantiam. Animum praeterea ita confirmare, ita constituere debent, ut ne facile offendantur quotidianis, vel naturalibus, qui hominibus etiam perfectis accidere solent, Praepositi Generalis defectibus. Contra vero haec omnia boni consulant, ac in bonam perfectamque partem interpretentur. Idem observent erga Superiores sui consiliarii, et ministri.

Huiusmodi habeat auxilia. Providenter data sunt haec auxilia Generali, de quibus actum est hactenus. Sed illud praeterea desideratur auxilium, quod vehe-

menter iuvabit Generalem Praepositum et Societatis universae gubernationem: ut, quandoquidem Societatem Generalis fere non visitabit, habeat duos Commissarios generales, unum in Europa, alterum in India, vel etiam plures, commoda distributione, qui semper versentur in visitatione Societatis, et ea omnia curent ex commissione, quae erat ille acturus in visitatione. Ea hoc verbo complecti possumus, ut unitatem ac perfectionem totius Instituti procuret Commissarius, et unionem omnium partium ad Praepositum Generalem in perfecta unitate obedientiae. Hi possunt tot designari, ita commode distribui, ut triennio suam obire visitationem possint, et redire ad Generalem Praepositum, rationem reddituri de universa visitatione, etiam si de singulis Provinciis prius dedissent; unde magna proveniret lux, ampla notitia rerum omnium, magna facultas bene gerendae Societatis. Itaque quarto quoque anno posset vel idem, vel alius designari generalis Commissarius. Hoc videtur consentaneum magis rationi gubernandae Societatis, efficacius ad unitatem conservandam, utilius ad alendam uniformitatem, expeditius ad iuvandum Praepositum Generalem.

Quod quidem valetudo. Quod sciamus contigisse P. Ignatio, et timeamus, ne aliis accidat Generalibus, ut affecta sint valetudine, eo spectant haec verba. Mihi vero placet bene sperare, si quis infirmo corpore assumeretur in Generalem, ei tamen ex maiori gratia, tum ex aliis donis, quae a Deo acciperet, non defuturum tantum roboris, quantum requirit Societatis gubernatio; et tamen, si quid videret desiderari propter suam valetudinem, poterit id opportune supplere ad-

ditis ministris pluribus, qui se adiuvent, non tantum pleniori usu eorum, quos habet ordinarios.

Pluribus, et paucioribus. Quod praescribet Generalis Praepositus.

IN DECIMAM PARTEM CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Per ea nec conservari, nec augeri potest. Ut ex principio, vel causa primaria, et quae ex se conservare vel augere possit Societatem. Divinae tamen gratiae cooperari debent media humana, ut inferius tertia § exponitur.

In eo solo spem constitui. Spes quidem in solo Deo, quod est spei solum obiectum, constituenda est; sed cum sit spes expectatio certa vitae aeternae, ex gratia et meritis; ubi pronuntiatur in solo Deo esse spem ponendam, non excluduntur gratia, et opera ex gratia profecta, in quibus spem, et fiduciam collocamus in Deo.

Singulis hebdomadis, mensibus et annis. Fortassis intelliget aliquis mensibus et annis iri satisfactum, si singulis tantum hebdomadis sacrificia et orationes instituantur. Non est ita tamen. Non enim sunt Societatis suffragia tam parce interpretanda; nec mensi erit satisfactum ex Missis, quae sint hebdomadis datae, postquam nominatim de mensibus, et annis constituitur. Igitur singulis hebdomadis est una Missa praescribenda singulis sacerdotibus, tum orationes fratribus; praeterea initio singulorum mensium, et annorum, idem est instituendum et indicendum.

Non ut illis fiducia nostra innitatur. Sed in Domino: nam illa ex se efficaciam non habent, sed ex Deo.

Collegia conservare. Sub his intellige domos probationum, quae possunt, quemadmodum collegia, dotari redditibus; et huic quidem parti Societatis omni studio, cura, diligentia incumbere debet Generalis Praepositus, ut ex qua, tanquam a spirituali ac necessario seminario, pendeat totius Societatis integritas ac perfectio.

In perfectione vitae, ac literis. Utrumque curatur in collegiis, sed proprie litteras ut addiscant nostri. In domibus vero probationum de virtutum fundamento, ac perfectione agitur unice, quae perseveret, atque adeo crescat in collegiis, consummetur vero in domibus professis, et in iuvandis animabus exerceatur.

Christiano dignis. Et ad nostrum finem et ministeria accommodatis, ut in quarta parte dictum est.

Et eius coadiutoribus. Spiritualibus.

Ad finem eundem iuvabunt. Adiunge huic § illud, quod necessario est cum ea coniunctum. Nam, si tam commendatur accurate collegiorum, ac domorum probationum conservatio, propterea quod seminarium illud sit professae Societatis, et eorum, qui ad iuvandas animas in ministerium mittentur; non minori certe cura erunt domus professorum conservandae, atque gubernandae; missiones non minori diligentia atque spiritu exercendae in Domino. Neque vero tantum intelligamus fundatorum collegiorum et domorum, ac missionum conservationem, et gubernationem iuxta Societatis Institutum commendari; sed augmentum etiam, et novam fundationem collegiorum et domorum, maiorem missionum frequentiam, atque amplitudinem. Sic enim

fiet, Christo Iesu propitio, ut universa Societas nostra non solum conservetur, sed incrementum etiam maius sumat ad maiorem Dei Domini nostri gloriam.

Quibusvis spiritualibus. Id est pro quocunque officio ex iis, quae Societas iuxta suum Institutum exercere potest; ita enim dicitur in secundo capite sextae partis Constitutionum, quod hic citatur: et simpliciter quidem omnia nostra ministeria, ex Instituto profecta, spiritualia et pia sunt.

Nec ad suam utilitatem. Adde ad haec omnia, ut illud votum non omittant professi edere, atque adeo neque coadiutores; de quo voto statuitur prima § secundi capitis sextae partis Constitutionum: quod nunquam acturi sint, quacunque ratione, vel consensuri, ut quae ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus, et Declarationibus Societatis, immutentur, nisi quando ex causa iuxta rerum indigentiam videretur paupertas restringenda magis.

Omnes professi. Solos professos quatuor votorum intellexit P. Ignatius ad hoc votum et duo sequentia obligari: non quod aliis omnibus, quotquot vivunt sub obedientia Societatis, non sit occlusa ianua ad dignitates, sed alios sat fuit intellexisse ex vocatione exclusos, et per Superiores arcendos; de quibus alioqui minus est verisimile quod assumi possint. In professis vero quandoquidem poterat esse res et facilis, et magni detrimenti, noluit Societas in aliis mediis sistere, sed summam voluit obligationem adhiberi, ut scilicet Deo id voverent. Quod de professis quatuor votorum locus intelligatur, illud etiam persuadet, quod inferiori § numero septimo dicitur de professis. Non enim illic aliter loquitur constitutio de professis, quam hic voluit intelligi.

Si eius obedientia. Summi scilicet Pontificis vel etiam Generalis Praepositi, qui tamen hoc nunquam praecipiet, nisi coactus obedientia Apostolicae Sedis; ut constitutum est tertio capite nonae partis Constitutionum.

Promittant etiam Deo. Etiam si videatur difficile hoc praecipere Societatem, quasi praecipiat Episcopo, non est difficile tamen. Neque enim Episcopo praecipit, sed ei qui in Societatis est obedientia, et potest se ad id obligare; quod alioqui videtur debuisse facere sua sponte, ut a Societate, quae illum nutrivit in Domino, quae illum penitus novit, quae illum vehementer amat, quae illum potest ac desiderat iuvare, adiuvetur saltem consilio. Neque enim si Episcopus obedire non tenetur Societati per Episcopatum, desiit propterea esse Societatis Religiosus, et habere Institutum Societatis, vel desiit illud servare debere, et illo spiritu gubernari in iis praesertim, quae munus episcopale et illius ministeria non impediunt, et iuvant potius.

Spiritus, et doctrinae selectae. Hic locus, praesertim vero alius, qui habetur in diplomate confirmationis Iulii, et Pauli, ubi videmus requiri, ut sint professi in spiritu et litteris conspicui; facit, locum quendam primi capitis Examinis non esse remisse interpretandum.

Et Generalis in particulares. Praepositos, idest Superiores alios omnes, tum in omnes subditos Societati.

Sed in primis id praestabit. Nullo pacto praeponitur vel obedientia, vel eius vinculum charitati, quae vita est, et perfectio virtutum omnium; neque illi conferri intelligitur; sed sui ordinis et generis virtutibus moralibus. In quibus primas gerit obedientia, praesertim religiosa, quae non solum refertur ad praecepta,

sed ad consilia, et quidem Societatis, quae non solum abnegat voluntatem, sed intellectus iudicium.

Singulis mensibus oportebit. Eas scilicet quae ad singulos attinent, quae regulis continentur. Eae enim solent in domibus, et collegiis singulis mensibus legi publice.

FINIS SCHOLIORUM IN CONSTITUTIONES

LAUS DEO.

APPENDIX

QUAE IUSSIT PAULUS IV ADSCRIBI CONSTITUTIONIBUS

Octavo die septembris 1558, nomine sanctissimi D. N. Pauli Papae IV, allocutus est Reverendissimus Cardinalis Neapolitanus eos omnes, qui Congregationi generali nostrae Societatis intererant, et proposuit duo, quae sequuntur, et in Constitutionibus poni iussit. In utroque autem Congregatio nostra se obedituram dixit, unde et ea posita sunt ad finem Constitutionum et typis quidem excusa.

Unum fuit, placere Suae Sanctitati, ut Praepositus Societatis nostrae triennalis esset, et non perpetuus, quamvis post triennium confirmari possit.

Alterum, ut Societas nostra chorum ad horas canonicas dicendas haberet, quemadmodum aliae Religiones; cum ea tamen moderatione, quae Praeposito Generali convenire videretur. Haec propterea hoc loco addita sunt, ut adscripta fuerant Constitutionibus, ne aliorsum quisquam interpretetur, si in aliis editionibus illa supprimentur, quod haud dubie fiet. Simul necessarium fuit, ut ea explicarentur, ne cui movere dubitationem possint, si forte nesciret rem, quemadmo-

dum acta sit, et videret Summi Pontificis imperium non servari.

Quae igitur voluit immutare Paulus IV, ea Instituto et Constitutionibus contineri, nullus dubitare potest. Etenim, praeterquam quod de illis statuitur in capite tertio sextae, et primo nonae partis Constitutionum; praeter confirmationem Constitutionum in diplomatis approbationis Instituti, et litteris aliis Apostolicis, ubi nostra privilegia confirmantur; praeter approbationem Constitutionum viva voce Pauli ipsius IV et Pii IV; praeter haec omnia, nominatim duo illa sunt confirmata, de choro quidem a Paulo III et Iulio III in diplomatibus confirmationis Instituti; de Generali Praeposito a Paulo III in diplomate magno privilegiorum. Paulum vero IV scimus nescio quid offensionis semper prae se tulisse adversus P. Ignatium iam inde cum Venetiis praeesset Theatinis. Liberius illum fortassis admonuerat aliquando, quam pro eius ingenio, P. Ignatius; tum illi fuerat Romae adversatus iam Cardinali, nam retinuit contra eius voluntatem et edictum quendam iuvenem neapolitanum in Societate, cuius causam curaverat ad se deferendam Cardinalis; illam enim agebant acriter apud Iulium III parentes. At P. Ignatius impetravit a Iulio, ut iudex in ea re non esset ille. Utcumque res habeat, non obscure offensionem in P. Ignatium demonstravit Paulus, non solum quum esset Cardinalis, sed cum Pontifex Summus. Nam initio statim ubi fuit designatus Papa, coepit aperte praeseferre, ac dicere, velle se omnia, quae haberet Societas, diplomata Apostolica, Constitutiones, denique totum Institutum examinare, et discutere; omnia esse ab illa Sede diiudicanda; minari item ali-

quando. Itaque P. Ignatius, qui erat alioqui intrepidus ad omnem adversitatem, timuit non sibi, sed Societati, et illud praesertim metuebat, ne chorum induci imperaret in Societatem Paulus; et tamen ubi ad ipsum venit P. Ignatius, ut Societatis ei deferret obedientiam, a Pontifice benignissime fuit acceptus. Alios autem Patres Societatis semper amice accepit, et benevole. Societati etiam semper professus est bene cupere et velle. Nihil adhuc egerat de rebus nostris Paulus, quum ad meliorem vitam transiit P. Ignatius. Fuit pro illo factus Vicarius P. Laynez. Hoc Vicario, adhuc nihil adversus nos designabat, donec incitatus a quibusdam, quos nominare necessum non est, iussit ut omnia, quae haberemus diplomata Sedis Apostolicae, Constitutiones, regulas nostras omnes, ad ipsum deferremus; velle se omnia excutere, et diiudicare. Illa igitur omnia dedit examinanda duobus Cardinalibus, Tranensi, qui ex ordine Theatinorum fuerat assumptus, et Reumano, homini Gallo. Hi, quum aliquot menses habuissent illa omnia, summo etiam studio et diligentia excussissent, et de his retulissent ad Paulum, illaesa tamen nobis fuerunt restituta, atque intacta; quae restitutio instar fuit nobis vehementis approbationis; singularemque illam gratiam Societatis illic plurimum valuisse agnovimus: nihil ne immutasse in nostris diplomatibus, nihil in Constitutionibus, nihil in regulis Pontificem, qui eo esset animo in nos, qui tam severe res omnes excussisset? Ea Dei manus fuit, non hominis. Nihil ergo immutatum unquam est; tantum leviter significavit Tranensis de choro esse fortassis considerandum; nihil tamen praescripsit, nihil ursit. Itaque emersimus ex illo turbine, Christo propitio. Ubi vero, congregatis

Patribus, erat designandus Generalis Praepositus, dubitavit Paulus, num duo illa capita essent immutanda; tacuit tamen tunc de choro, de Generali vero Praeposito edixit Congregationi, ut animadverteret, ac deliberaret, num praestaret Generalem eligere ad vitam, an ad triennium; se probaturum utrumvis Congregatio mallet. Constanter omnes Patres dixerunt se velle Institutum servare, ac perpetuum Generalem eligere. Placuit Paulo haec Societatis voluntas, et animorum consensio. Itaque Cardinalis Pachecus, quem voluit electioni interesse in ea Congregatione, qua eligendus erat Generalis Praepositus, dixit, placere Summo Pontifici, ut eligeretur non ad triennium, sed ad vitam Praepositus. Idem magna verborum amplitudine confirmavit Paulus, ubi post electionem P. Laynez Praepositus cum universa Congregatione ad ipsum adiisset, ut de electione referret, ac benedictionem peteret apostolicam, et obedientiam nomine suo ac Societatis deferret: laudavit enim copiose Societatem, electionem, ministeria, Institutum, ac quicquid ad Institutum attineret; omnia probavit, confirmavit, atque benedixit. Bono animo eramus omnes, quum ecce tibi rursum de eisdem rebus ambigit Paulus, et edicit Congregationi per Tranensem, ut ex integro de illis deliberet et ad se referat. Nulli videbatur esse cur de re compertissima deliberaretur; sed tamen, praemissis piis ad Deum precibus, duplici consessu de eisdem rebus dictae sententiae; omnibus suffragiis idem, quod semper censuerant Patres, constanter confirmaverunt: esse illa quidem contra Institutum et superiorum Pontificum auctoritatem et contra quam se se voto obligassent; non posse tamen se non obtemperare imperio Summi Pontificis,

si illa praeciperet: verum testari, nolle sua voluntate; propterea censeri esse immutatum Societatis Institutum. Haec brevi epistola complexa est Congregatio, moderatius tamen quam erant in Congregatione acta. Ea epistola exhibita non fuit Paulo. Nam illis eisdem diebus, vocato ad se Generali Praeposito, magna verborum non solum vehementia, sed contumelia etiam, ac minis imperavit, ut choro uteretur Societas, et esset Praepositus Generalis ad triennium. Nihil fuit perturbatus bonus Pater Laynez, sed tranquille, ac modeste respondit, se id relaturum ad Congregationem. At ego illi, inquit, illi hoc imparabo per Cardinalem neapolitanum; quod et fecit. Nam illa ex imperio Pontificis universae Congregationi praecepit postea Cardinalis ille eisdem verbis, quibus superius sunt exposita; nihil praeterea addens, nullas literas Apostolicas revocans. Respondit simplicissime nomine omnium Praepositus, se obtemperaturum. Quum haec ita acta essent, adiit unus e Patribus congregatis Cardinalem a Puteo, qui et iuris erat peritissimus, et magistratum gerebat in Romana Ecclesia amplissimum. Rem illi narrat, rogat num periculi quippiam vel detrimentum creatum sit Societatis Instituto propter edictum Pauli. Nullum prorsus respondit, nisi quoad vixerit Paulus; quandoquidem non revocavit ille priorum Pontificum Pauli III et Iulii III confirmationes Instituti: itaque edictum illud vim obtinet, inquit, simplicis duntaxat mandati, quod per mortem mandantis abrogatum censebitur, et erit. Hac spe animati in Domino, quievimus eo anno, quo supervixit Paulus; eo mortuo, rursus consuluit diligentissime Praepositus eundem Cardinalem et quatuor praeterea selectissimos iurisconsultos; omnes idem

responderunt, non esse nos illo edicto obstrictos. Quod si post mortem Pauli illud nostra voluntate observaremus, facturam illam observationem, ut censeamur revera edicto teneri. Haec quum audisset Generalis Praepositus, re cum Assistentibus communicata, ne quid detrimenti acciperet Societas, publico tabellionis instrumento testatus est, nolle se aliquam novam obligationem, vel ex illis duobus capitibus, vel aliunde inducere in Societatem. Itaque praescripsit, ut usus chori quotidianus intermitteretur; retineretur tantum diebus festis ex sua dispensatione ille usus, qui nunc etiam perseverat. De alio capite nihil tunc egit; verum retulit postea de illo ad suos Assistentes, qui uno consensu dixerunt, non esse ipsi integrum de ea re dubitare; in suo esse robore Constitutiones, et Institutum, nihil esse immutatum propter Pauli edictum. Haec etsi audisset, scripsit tamen non ad Provinciales solum, et ad alios Patres, qui ipsum elegerant, qui fere omnes erant superstites, sed ad omnes etiam professos; propositisque hinc inde argumentis, quibus contrariae partes niti posse videbantur, praecepit in virtute sanctae obedientiae, ut iuxta animi sui sententiam dicerent, num exacto triennio esset nova electio facienda, an non. Responderunt fere omnes: non esse faciendam; sed ipsi esse locum tenendum, donec Dominus vitam concederet. His tamen non contentus bonus Pater, ad finem triennii voluit nihilominus serio provinciam suam deponere. Quod ubi intellexissent duo primarii Patres, qui apud ipsum erant Romae, rei periculo commoti, adierunt Pium IV, cui quum rem totam exposuissent, praesente Cardinali ferrariensi, abrogavit Pontifex decretum Pauli IV et P. Laynem, eiusque

successores Praepositos voluit non ad tempus determinatum, sed ad vitam officio suo fungi, sicuti iuxta Constitutiones fieri debuit ante Pauli edictum; simul sua, et Sedis Apostolicae auctoritate confirmavit nostras Constitutiones. Habemus Cardinalis ferrariensis litteras, quibus hoc testatur. Vixit autem postea P. Laynez triennium, et aliquot menses; nec ullus fuit, qui de eius officio, vel auctoritate dubitaret. Ex his quum multa elici possint, quae dubium omne eximant, nolui ego plura hoc loco addere, praesertim quum nil possit esse vel periculi, vel dubitationis deinceps.

IN PRIMUM CAPUT DECLARATIONUM EXAMINIS

SCHOLIA

Nullo postulato responso. Ad singula alioqui consentire necessum est eum, qui ad novitiatum est recipiendus, et boni consulere in universum, quae Examen continet.

Velut membra sunt collegiorum. Ad hunc locum videtur respexisse prima generalis Congregatio, ubi decrevit, domos probationum potius prope collegia, quam prope domos professorum habendas; et tamen non erit necessum, ut Rector collegii sit Superior domus probationis vicinae, sed suum poterit habere domus Praefectum, qui immediate Provinciali obediat.

In collegiis sunt constituendi. Non tantum collegia intellige, sed domos etiam professas, ad quas mittentur

e domibus probationum hi, qui ad collegia nihil erit cur mittantur.

Usque ad vigesimum. Adde et eo amplius, prout Superiori videbitur, ut est in quarto capite primae partis Constitutionum § prima.

IN SECUNDUM CAPUT DECLARATIONUM EXAMINIS

SCHOLIA

Eius conscientiam de ea re extimulet. Non extimulet tantum, sed eum ne absolvat, et iubeat ire ad Superiorem; est enim id inter casus reservatos, ut proximo capite exponitur.

Qui suspectus esset. Satis esse videtur simplex suspicio, nam ex hac vocari ad iudicium quivis potest. Haec confer ad tertium caput Declarationum primae partis Constitutionum.

IN TERTIUM CAPUT DECLARATIONUM EXAMINIS

SCHOLIA

Reservatum etc. Erit quidem reservatum, si quis impedimentum excludens a Societate reticuisset in examine, vel in illo mentitus esset, respondendo ad serias eius interrogationes. Nam hic est casus reservatus a P. Laynez, et in secunda Congregatione generali. Seriae vero intelliguntur interrogationes, unde

gravia incommoda, et non mediocre detrimentum Societatis oriri posset; quod iudicabit confessarius ex instructione Superioris.

Si praesens, et extrema. Quod si qui de facto receptus est, tenetur succurrere parentibus, nec impediri potest a Superiore, atque adeo hic dimittendus esset, vel parentibus alia ratione consulendum, ut ne cogeretur deserere Societatem, ut satisfacere parentibus posset. Sin postea in eandem incidant necessitatem, qui vota nondum habent, ad idem tenentur; si vota habeant, non tenentur, nisi ex obedientia Superioris, cuius erit, quum nulla sit necessaria obligatio, videre quid aedificationi, et aliis circumstantiis conveniat. Illud tamen est omnino curandum, ut totam curam deponat subditus. Usus Societatis hactenus est, ut, quemadmodum pro aliis pauperibus quaerimus eleemosynas, ita pro his sincere quidem, sed libere tamen procuremus.

Penes consultores erit. Qui pluribus suffragiis rem transigent, advocato ad ius suffragii antiquissimo, vel professo, vel coadiutore spirituali, vel omnino patre ex his, qui domi erunt, si res propter suffragiorum qualitatem expediri non posset.

IN QUARTUM CAPUT DECLARATIONUM EXAMINIS

SCHOLIA

A Societate dimitti. Nam, si non esset dimissus, sed iniussus abiisset, nihil esset illi restituendum, donec censeret Societas illi esse vota dissolvenda, et tunc statui deberet iuxta citatam declarationem. Ce-

terum illud videtur hoc loco non praetermittendum, ubi novitius admittitur, non esse illa scribenda, quae usu est ipse consumpturus. Deinde si pauxillum nummorum haberet, quod videatur alioqui paratum esse ad viaticum, et mentem eius percellere aliqua tentatione posse ad discessum, utile esset, si Superior, exacto primo anno, iuberet ut illas pecunias distribueret pro suo arbitrio ad pietatem, tum etiam de fructibus, et proventibus bonorum ut statueret. Nam de stabilibus bonis maturiori iudicio est illis indicendum, ut superius dictum est.

IN SEXTUM CAPUT DECLARATIONUM EXAMINIS

SCHOLIA

Nec est iniustum. In hanc libertatem Societatis scimus impegisse quosdam externos homines, qui non intelligunt, quemadmodum aequitati sit consentaneum, ut illa maneat libertas in Societate, non etiam in habentibus vota simplicia. His est abunde alio loco satisfactum. Hic sat est, si auctoritate Sedis Apostolicae nos tueamur: non enim iniustum esse potest quod Apostolica Sedes comprobavit.

N. *Quorum tantum erit posse dimittere — Qui solus potest dimittere.* Est in autographo hispano: *que solamente podran despedir,* idest qui solum dimittere poterunt, per se, intellige, vel per alios; nullus enim alius, nisi ex commissione vel Societatis, vel Generalis Praepositi dimittere quemquam potest. Sed de hac re vide secundam partem Constitutionum.

IN PROOEMIUM DECLARATIONUM IN CONSTITUTIONES

SCHOLIA

Ad gloriam Dei. Maiorem intellige semper, etiam si aliquando praetermittatur.

Et universalis Ecclesiae bonum. Iuxta Societatis Institutum: hoc enim est ad universale Ecclesiae bonum. Quod si interpretari quis ulterius velit, facere ad Ecclesiae universalis bonum, ut nostri animarum curam assumant, ut episcopatus subeant, quod aliqui iam dixerunt, atque etiam contenderunt; id vero est, quod nos constanter negamus esse ad Ecclesiae universalis utilitatem. Nam, si est ad bonum universalis Ecclesiae Societatis Institutum, ut re vera est, quod illud labefactat, quod illi adversatur, ad bonum Ecclesiae non est.

Ut memoria retinere possint. Non propterea intelligas memoriae esse mandandas Constitutiones; sed hoc dicitur, breves esse oportere, ut earum recordatio facilius haberi possit, et facile possint memoriae occurrere.

Cum oportebit externis. Vulgo enim externis non exhibentur Constitutiones, sed aliquando tamen possunt, ubi necessitas aliqua id exposcat, vel utilitas, vel omnino causa aliqua. Difficilius communicari possunt Declarationes, sed tamen ipsae etiam poterunt, ubi vehementior aliqua causa urgeret.

Qui reliquis praesunt. Horum vero erit proprium

Declarationes habere, neque absque iudicio aliis communicare. Quae fuit causa P. Ignatio, ut Declarationes separatim ederet, vellet etiam separatim ab aliis edi. Et tamen P. Franciscus Generalis sua auctoritate fecit, ut simul ederentur pro nostris; providit tamen ut aliquot exemplaria excuderentur Constitutionum absque Declarationibus, quae tamen nulli usui fuerunt; omnibus enim passim datae sunt, quod sciam, Constitutiones cum Declarationibus.

Minus dilucidas reddebat. Vel alioqui faciebant, ut aliqua egerent epiikia, vel dispensatione: quod eo spectat, ut intelligant Superiores, eo difficilius sibi esse in Constitutionibus dispensandum, quod vident P. Ignatium providisse, quoad eius fieri potuit, ut in Declarationibus dispensationes etiam ipsae, vel epiikiae exponerentur; quasi alias voluerit excludere, vel indicare difficillimas.

Possint accommodari. Erit haec facultas Generalis Praepositi, vel eius, quem ipse censebit idoneum, cui hoc munus committat.

Iuxta voluntatem Superioris. Cui scilicet incumbet dare operam, ut observentur.

IN DECLAR. I. CAP. I. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Extraordinarie vero. Propterea quod Commissariorum est officium extraordinarium; alioqui, ubi extra ordinem designabuntur Commissarii Praepositi Gene-

ralis, illam semper habebunt facultatem, siquidem in Provinciales sint habituri auctoritatem.

Vel eiusdem Provincialis. Hic tamen vix consuletur absens, si quidem in Provincia sit Provincialis, qui eodem negocio consuli possit.

Magis consuetum erit. Et tamen hactenus commissum non est Rectoribus, ut pro suo arbitrio recipiant ad Societatem, inconsulto Provinciali, quos idoneos iudicabunt, nisi aliquis excellenter esset idoneus, et periculum esset, si statim non reciperetur, ne alio diverteret, vel omnino sollicitaretur, et periclitaretur. Hunc enim etiamsi admittant in Societatem, possunt tamen iuxta facultatem proximae declarationis domum recipere ut hospitem.

Ubicunque admittendi facultas. Quacunque ratione, sive ex commissione ordinaria sive extraordinaria, vel quam necessum sit identidem accipere ab absente, vel Generali, vel Commissario, vel Provinciali: atque adeo ubi agendum est quoquo pacto de recipiendis, ibi esse deberent examina, ut ex illis et inquirere melius possint de recipiendis, et iudicare, et ad Superiorem referre.

Per biennium probationis. Necessario quidem per biennium habetur hoc semestre examen. Nam brevius tempus dari non potest probationibus; et tamen donec professus quis fiat, vel coadiutor formatus, hoc semestre examen subire debet, ut capite primo Examinis praescribitur, et usus habet Societatis. Verum quaenam sit observanda horum examinum ratio, alibi fuse tractabitur.

IN DECLAR. II. CAP. I. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Atque id genus aliae esse possent. Non solum esse possent aliae, sed esse deberent nonnullae. Utrumque genus demonstrat editio regularum pro tam multis officiis. Aedituus quidem deesse non debet Ecclesiae, et hic ne a prandio quidem a templo abesse deberet. Ita enim fiet, ut iis, qui nostras Ecclesias adeunt, ut confiteantur peccata, vel ut instruantur ad pietatem, vel spiritualiter colloquantur, non desit qui vel satisfaciat, vel curet ut satisfiat; de aliis attingitur ad finem tertiae partis Constitutionum. De extensione vero usus coadiutorum dictum est hoc loco in Constitutionum scholiis.

Omnino deputari. Non propterea intelligas, coadiutores temporales non esse omnino externis his operibus applicandos; sed fieri praeterea posse, ut levia aliqua ministeria praestentur a scholasticis, vel etiam ab aliis; modo eorum primariae occupationes non patiantur dispendium.

Affectus cognosceretur. Etiam si indifferentiam profiteretur ac prae se ferret, non solum non esset pro coadiutore temporali recipiendus, sed ne pro indifferenti quidem; praesertim si certum esset iudicium, eum nec illo statu fore contentum, nec ad literas idoneum; quod si facultatem aliquam idoneam ad literas habere videretur, satius esset si pro indifferenti reciperetur, ubi omnino videretur recipi posse.

Dispensare cum eo Generalis. Quod tamen non faciet absque urgenti et idonea causa, et cavebit omni studio, ne aperiatur via dispensationibus non necessariis, et in aetate quidem professionis quatuor votorum exiguus erit dispensationi locus. Cum enim sit necessum esse prius sacerdotes, qui sint emissuri professionem; non poterit dispensare, nisi ut qui initio vigesimiquinti anni sacerdotio initiaretur, is ante annum expletum fieret professus: nam non debemus ante tempus ab Ecclesia definitum, vel curare, vel permittere, ut nostri ad ordines ecclesiasticos promoveantur. Et haec fuit sententia, et usus P. Laynez. Minus vero quaerere dispensationes in aetate ad ordines, ut nos possimus dispensare in aetate ad professionem.

IN DECLAR. III. CAP. I. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Si tamen error eius publicus esset. Tria hoc loco exponuntur, singula tamen sat habent impedimenti, propter quod admitti quis non debeat.

Verum hoc iudicium. Relinquitur quidem iudicio Generalis Praepositi, num illa tria ita habeant. Nam ita si habeant, non est amplius situm in eius iudicio, an sint admittendi. Definit enim Constitutio admitti non posse.

Quod ad schisma attinet. Ratio huius declarationis est manifesta. Nam cessat causa praecipua, quapropter haeresis, et schisma excludat a Societate. Non enim

minus erunt huiusmodi homines grati, vel efficaces in ministerio, in illis saltem nationibus, ubi schisma, vel haeresis esset generalis. Unde fit hos non esse facile in ministerium mittendos ad nationes catholicas. Simul magna est diligentia adhibenda, magnum studium, cura et observatio, ut intelligatur, num perfecte ad fidem et unionem redierint et constantes videantur futuri. Curandum praeterea, ut ita confirmentur in dogmatibus fidei, ita religiose instituantur, ac diligenter, ut nihil sit de eorum, ac fidei, et morum integritate verendum.

Ut schisma generale potius peccatum esset patriae. Dicitur generale esse peccatum haeresis, vel schisma, non particulare tantum personae, etiam ubi in patria, vel loco, ubi quis factus est haereticus vel schismaticus, publice sunt haeretici, nec puniuntur; etiam si Princeps sit catholicus, et publice in Ecclesiis observetur cultus catholicus. Itaque nec ibi factus quis haereticus excluderetur.

Nulla, ut nec in aliis, declaratio adhibetur. Non adhiberi declarationem interpretare eam, qua censeatur Societas in his impedimentis dispensare, quod non posse statuitur inferius hoc capite.

Posset in Domino admitti. Si magnum non timeretur detrimentum, si quando, ubi est infamis, ibi sciretur illum esse alibi receptum.

Iudicet Praepositus Generalis. Viderint Generales Praepositi, ut nisi consultissime de his non iudicent; tamen illud non videtur praetereundum, ut qui in exteriori foro sciretur publice sodomita, vel ea infamia graviter laboraret, nullo pacto ad nos recipiatur.

Non solum si professionem. Locum hunc ita ex-

pone, ut est similis locus expositus secundo capite Examinis.

Sed si vel unum diem. Quod si minus quam diem vixisset in habitu, et obedientia, non videtur esse excludendus, quod ex secundo capite Examinis colligere possumus; ubi cum illi excluduntur, qui aliquandiu vixerint in obedientia, illud *aliquandiu* saltem per unum diem esse intelligendum haec declaratio exponit.

Quando hoc vinculum. Declaratur hic quod attinet ad vinculum matrimonii consummati. De rato vero, et non consummato dictum est in secundo capite Examinis.

N. *Expedit — Recte, atque ordine fit.* Quod in autographo legitur, *es bien*, apposite quidem interpretatur antiqua versio. Ne propterea tamen intelligamus locum esse relictum, ut possit dispensare Societas in his impedimentis: sed illud statutum esse et definitum iuxta proprietatem phraseos P. Ignatii.

Sed si cerneretur aliquod. De omnibus his impedimentis hoc accidere non posse satis constat, ut de quarto et quinto. In aliis vero si quis dispensationem acciperet; num Societas repugnare deberet, id erit iudicium Generalis Praepositi. Fieri enim poterit, ut illi etiam dispensationem extorqueant, qui nullo pacto videantur ad Societatem idonei: qua de re in sequenti scholio. Ceterum illud non est dubium, Societatem non debere dispensationem suarum legum petere.

Imo nulli. Nullus igitur, qui raris non sit donis praeditus, recipi debet etiam cum dispensatione, quae fiet tantum, ut possint huiusmodi recipi, non repugnante Generali Praeposito. Quod si iuberentur recipi, tunc vehementer esset intercedendum omni studio, di-

ligentia, et industria; esset tamen repugnandum, si formula hic designata non servaretur in dispensatione.

Prudentiae eius, qui. Ubi scilicet non esse opus videbitur dispensatione.

Iudicii Superioris. Generalem Praepositum intellige vel eum qui ab eo hanc acceperit facultatem: ii erunt Provinciales, vel Commissarii.

Nisi ut superius dictum est. In illis intellige locum habere posse hanc interpretationem, quae hoc loco insinuatur, qui ita corpore vitiati non sint, quin legitime absque dispensatione ad ordines promoveri possint. Nam alioqui si vel ad professionem vel in coadiutores spirituales essent cooptandi, necessaria prius esset dispensatio; huius tamen dispensationis facultatem habet Societas ex Bulla Pauli III. Verum non absque magna causa in his est dispensandum.

Quod ad aetatem attinet. Cum ante decimumquartum annum completum nullus possit esse novitius de Iure communi, non poterit in hac re dispensare Societas, nisi ex legitima auctoritate aliunde id concedatur; etiamsi, qui legitimam pueri curam habeat, boni consulat, ut recipiatur. Porro quod hic locus dicit minorem decimoquarto vel vigesimoquinto annis, intellige completis, quod clare legitur in Constitutione primae partis capitis secundi.

De aere alieno. Recte habet haec declaratio, sed tamen illud simul est intelligendum. Nam quod satis est ad reiiciendum aliquem e Societate, videlicet si aere alieno magni momenti gravetur, ut secundo capite secundae partis Constitutionum ultima § constituitur; idem facilior causa esse potest, quapropter ad Societatem aliquis non recipiatur, quod addit districtionem ad hunc locum.

Ne inde offendiculi, vel perturbationis. Nam si haec timerentur, etiam si posset novitius cedens bonis recipi, modo personalem non subiisset obligationem; tamen vitanda sunt illa offendicula, et perturbationes: et antequam recipiatur, cavendum, ut vel aere alieno liberetur, vel consentiant creditores, vel Superioris iudicio censeatur esse contemnendum offendiculum, vel omnino agendum, ut sententia iudicis facultatem accipiant ingrediendi Religionem.

Quibus in iure agitur. De obligationibus ad ratiocinia intelligimus. De Iure enim nullus ad ratiocinia publica obligatus potest ad Religionem recipi, nisi illi obligationi satisfecerit. Dist. 53, c. legem. Si privata ratiocinia essent, consultius est, etiam si non necessarium de Iure, si prius suas rationes conficeret quam recipiatur. Verum de his consulte iudicabit, qui facultatem habebit recipiendi; consulet vero Generalem in re gravi et difficili.

IN DECLAR. IV. CAP. I. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Distincta, et coniuncta nostrae. Non erit haec domus extra ambitum domus probationis sita, etiamsi dicatur distincta; sed separata habitatio sub eodem ambitu, et ianitore; scilicet secessus, qui domus dicatur probationis primae, ut declaratio explicat.

Qui nondum obsequio. De illis igitur hac declaratione agitur, qui statuerunt quidem aliqua ratione, sed nondum omnino, in Societatem ingredi. Quare nihil est

cur interpretemur, quemvis triduo posse domum pro hospite recipi; et tota quidem declaratio, ubi tantum sentit difficultatis in his recipiendis, eo clare spectare videtur, ut nullus praeterea recipi possit. Adde, quod experientia est compertum, magnam esse factam iacturam in receptione hospitum, quum fuit dispensatum. Expectent igitur a nobis externi, quae nostri sunt Instituti, non hospitium. Haec quum ita sint, possunt tamen amici ad prandium vel coenam vocari, et honestius quidem ad refectorium, ut lectione, ordine, conspectu fratrum simul reficiantur in Domino. Est tamen in horum invitatione hominum ad aedificationem spiritus, et fructum spectandum.

Si in spiritualibus exercitiis. Et exercitia quidem iis erit operae pretium dare, qui valent ingenio ac literis, et non mediocriter videntur ad Societatem esse idonei. Alii potius in xenodochio, sive hospitali sunt probandi; sed ita tamen in illud servitium sunt deducendi, ut praefecti sciant, tantum ad probationem illuc mitti, necdum receptos esse ad Societatem.

Quae ei est observanda. Satis igitur erit regulas omnes domi illis dare in manus, et eas, quarum est initium *Summa Sapientia.* In his enim ea continentur, quae ex Constitutionibus excerpta singulis communiter proponuntur observanda; hoc vero est summarium, quod desiderat declaratio.

Quod simul cum examine. Quemadmodum Constitutionum earum, quae ad omnes attinent, ita Examinis epitome exhibeatur. Neque enim necessum est, ut universum Examen legant novitii, in quo tam multa continentur, quae non ad ipsos, sed ad Superiores pertinent. Unde adeo occasionem accipere possent tentatio-

num novitii, vel iudicandi acta Superiorum. Verum illud advertendum est, in regulis, quarum est initium *Summa Sapientia*, multa comprehendi eorum, quae ad mores attinent; poterunt igitur cum primo capite Examinis coniungi ea, quae necessaria videbuntur, vel utilia ex reliquis capitibus, quae quidem omissa in regulis fuerint.

Eorum nomine scribet. Intellige *subscribet,* ut est in constitutione; subscribet item examinator.

Non esset aequum. Est hispanice, *no se sufre;* quod est, res non fert: quod si e re futurum videretur, non esset abs re eos etiam, quasi in prima probatione, aliquot dies contineri, praesertim qui non sunt cogniti, et illos maxime qui ex aliis collegiis mitterentur tentati, vel egentes disciplinae. Verum erit horum primae probationis ratio diversa, et ipsis proprie accommodata.

Ad eos cognoscendos. Non assequitur versio sensum; est enim sensus loci: iis qui in aliis locis Societatis fuissent, quo magis essent noti, et firmi, minus esse necessarium eam diligentiam adhibere, quae illis, qui ad probationem admittuntur, adhibetur. Est igitur locus ita vertendus ex hispanico exemplari: licet quo magis sunt noti hi, et firmi, eo minus sunt necessariae illae diligentiae, quae fiunt ad illos cognoscendos etc.

IN DECLAR. I. CAP. II. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Nullis adhuc votis ligati. Praeterquam promissione distribuendi bona, elapso anno, ubi Superior praescripserit.

In tertio gradu illi sunt. Simul eos intellige in hoc tertio gradu constitui, qui, exacto quidem biennio, vota ex praescripto Societatis necessaria ediderunt, sed adhuc in probatione contineri censentur, ut qui nec sint in scholasticos approbatos, nec in coadiutores, vel professos admissi; quamvis hi in hoc gradu superiorem locum teneant, quam qui sponte sua vota ediderunt.

Scholastici approbati. Ii scilicet qui et vota ediderunt, et biennium in probatione exegerunt, et praeterea cum Superioris approbatione student, vel docent, vel in alio ministerio exercentur, antequam designentur vel professi, vel coadiutores formati.

Sunt coadiutores formati. Maior quidem in his dimittendis est difficultas, quam in superioribus; sed tamen inter hos minor erit in temporalibus, quam in spiritualibus.

Etiam professi. Professos etiam intellige quatuor votorum solemnium, et eos quidem sive locales fuerint Praepositi, sive Provinciales, sive, ut summum, Praepositus fuerit Generalis. Ceterum cum de auctoritate eiiciendi Generalem e Societate dictum sit in nona parte Constitutionum, ex eodem loco colligi poterit de aliorum Praepositorum electione; quod ex hoc capite non ita facile intelligitur. De causis igitur eiectionis horum censebit Generalis Praepositus; de sui Societas.

Praeterea quae dicta sunt. Nihil de efficacia tamen propter hanc declarationem derogatur veris et indubitatis causis, quae proximo capite recensebuntur.

Ad Praepositos particulares. Provinciales intellige primo loco; locales deinde Rectores, et Praefectos probationum sua proportione.

Haec potestas contrahi. Quod ad usum attinet, hanc potestatem inhiberi posse intellige, de iure, et de facto. Nam facile stare aliter non potest, potestatem haberi per literas patentes, non haberi per secretas.

Qui in prima probatione, et in secunda sunt. Usus tamen Societatis hactenus hic est, ut nullus ex his, qui sunt in secunda probatione, dimittatur a Societate, nisi prius consulto Provinciali; nisi sit adeo urgens causa, ut domi ille retineri absque iactura disciplinae non posse videatur: et tunc quidem esse solet liberum, ut illum mittant Superiores ad Provincialem.

Per quemvis Praepositum. Localem, vel Rectorem.

Id facere non deberet. Posset tamen illum ad Provincialem mittere; et deberet quidem, si disciplinam domesticam turbaret.

Provinciales autem. Necessum est, qui longius absunt Provinciales, hanc habere facultatem, praesertim ubi res gravius urgeret: et in Indiis quidem communicari haec facultas plane potest, et debet.

Nisi consulto, et approbante. In his tamen etiam professis illa erit libertas, ut mitti ad Generalem possint: ubi responsum expectari nequiret absque detrimento disciplinae, vel scandalo, quod non videretur ferendum Provinciali.

Erga professos minus. Quod dicitur minus esse communicandam hanc facultatem, etc. difficilius quidem, et rarius intellige; sed aliquando tamen communicari eam posse.

Vel incorrigibilis esset. Non propter solam incorrigibilitatem, sed propter alias etiam causas, quae ex sequenti capite colligentur, cum quibus tamen vel contumacia sit coniuncta, vel exigua spes emendationis

vel in ipso, vel in scandalo, quod dederit, vel in detrimento, quod attulerit Societati, et malo exemplo. Ad haec enim extendimus incorrigibilitatem.

IN DECLAR. II. CAP. II. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Discreto zelo. Zelo quidem salutis, et perfectionis eius, qui occurrit dimittendus; sed qui coniungatur cum zelo finis Societatis, et integritatis Instituti, ne privatum bonum publico praeferatur parum consulte.

Communicabunt. Salvo tamen sigillo confessionis, si quod intercesserit observandum: tunc enim si quoquo pacto ex ea communicatione possit deveniri in notitiam personae, nullo pacto communicabunt, sed rem soli transigent, adhibita oratione. Alia item ratio secreti observari debet iuxta rationem obligationis, et Societatis usum probatum.

Ut periculum fieret sanitatis. Hic recipiendi modus, de quo nihil nec in Examine, nec in superioribus capitibus dictum est, ut qui praeter ordinem esse videatur, usurpari quidem potest, sed non ita frequenter, nec sine magno iudicio, et ubi sit spes maior concepta de recipiendo, quam ut superari debeat ab incertitudine sanitatis.

Sine ulla conditione. Conditionem dicimus rationem illam aliquem recipiendi ad valetudinis probationem, quae tamen modus est potius quam conditio; nec est alius vel modus, vel conditio, quae ad receptionem adhiberi debeat.

In ministerio Societatis. Est hispanice *in servitio* ad verbum. Colligi vero ex hoc loco potest, posse eum eiici, qui etiamdum est in probatione vel in studiis, nec in ministeriis Societatis est versatus. Nam dum probatur vel studet, non inservit, vel in ministerio est Societatis: sed contendit esse idoneus, qui Societati inservire pro dignitate possit: quod intellexit Societas sexto capite Examinis. Et tamen moderari hoc possumus, si dicamus, illos non debere invitos eiici propter infirmitatem, qui illam contraxerint in ministeriis collatis in proximum, sive sint novitii, sive scholastici post biennium; ante biennium posse.

Non est aequum. Non est solum contra aequitatem, sed contra iustitiam, et facultatem praeterea Societatis, ut in ea retineatur huiusmodi; sed illa erat suavitas phraseos P. Ignatii.

Aliis offendiculum praebere. Iudicium est Generalis Praepositi censere, ut de homicidio atque de infamia, ita de scandalo. Hoc tamen iudicium potest committere iis, qui eiiciendi acceperint potestatem; facilius de scandalo.

Propter rationem, vel magnitudinem peccati. Facere igitur potest ratio vel magnitudo peccati, ut aliquis sit excludendus; non tantum offendiculum: quo magis ea confirmantur, quae sunt annotata ad finem huius capitis in Constitutionibus.

Prudentia Superioris. Modo illam habeat mittendi facultatem, et simul auctoritatem, ut quo miserit, ibi recipiatur; alioqui incertum erit an sit recipiendus. Nam erit per literas causa aperienda, cur mittatur.

An expediat. Experientia fecit compertum hanc obligationem potius nocere, quia videmur dissimulare

graves offensas. Celari enim non potest publice illum esse in Societate, etiam si longissime ablegetur. Usus igitur huius epiikiae esse posset in re dubia.

IN DECLAR. III. CAP. II. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Constitutiones de eo modo etc. Constitutiones scilicet tertii huius capitis. Nam secundi capitis Constitutiones complectuntur omnes causas, sive occultae sint, sive manifestae.

Nonnulli occulte dimitti possunt. Ex cognitione causarum, si sciantur illae tantum in sacramentali confessione, moveri quidem licebit, servato sigillo, ubi alia erit causa manifesta, quae legitime sufficiat ad aliquem eiiciendum, qua niti possit qui aliquem eiicit; secus non licebit. Quod si occultae sint causae ex alia ratione secreti, omni ex parte praescriptus modus observari quidem non poterit; verum erit prudentiae dimittentis, modum adhibere illi secretae dimissioni convenientem; et quandoquidem multa in his dimissionibus accidere possunt difficiliora, attentius erit agendum: qua de re dictum est in responsionibus visitationis.

Sine peccato esse possunt etc. Praeterquam in primo genere causarum, quae superiori capite traduntur, in tribus reliquis facile perspici potest, causas obvenire posse sine peccato. Verum harum usus erit proprius magis in eiectione novitiorum.

Et si non dicerentur. Ut scilicet dicendae non sunt; sunt enim secretae. Timeretur in aliis turbatio, ubi viderent dimitti aliquem absque causa, quae non sciretur. In hoc igitur rerum eventu quaerendus aliquis modus, quo ille eiiciatur, alii non turbentur.

Aliquo praetextu, ut probationum. Ut fere id fiat, ac dici possit, aperte illi est indicendum, ut in peregrinationem proficiscatur; ac deinde sciat se esse a Societate dimissum, vel curetur in ipsa peregrinatione id illi significari.

Si Praepositus. Intellige quemvis Superiorem, qui habeat facultatem etc.

Si iudicaverit in Domino. Non erit semper fortasse necessum, ut alios consulat, vel etiam non poterit, vel debebit, ubi praesertim causa sciretur tantum in confessione, et ex consultatione timeretur sigilli violatio.

Minus autem in illis. Hoc dicimus primum, non posse illa omnia in omni eiectione usurpari. Nam aliqua solis novitiis conveniunt, et scholasticis, quale illud est, ut auferant, quod suum fuerat, dimissi; tum, quod dimissi dirigantur extra ad aliquam Religionem, nisi forte Carthusianorum, professis convenire non potest. Non enim possumus nos illorum solvere vota. Deinde iudicium esse in illorum usu adhibendum. In coadiutorum enim dimissione, ac professorum, nonnunquam etiam scholasticorum, aliqua erunt praetermittenda, aliqua contra, ut ratio exiget eiectionis, aliquando addenda. Haec quum ita sint, constat tamen illa omnia proprie eiectioni novitiorum convenire.

Charitas, et discretionis donum. Si non negligamus industriam humanam, et usum virtutum moralium.

Ea, quae ipsius esse constet. Quae non distribuerit

legitime, quum iure et possessione illarum rerum nondum exciderit, dubium non est quin auferre possit.

In his, quae expendisset. Pro Societate intellige, nam si qua alias expendisset, dubium esse non potest.

Si accidisset ut ficto animo. Sive ante, sive post donationem.

Prudentiae Superioris dimittentis relinquatur ut habita ratione etc. Non mediocri prudentia opus est in hoc iudicio habendo, nec facile illud est praetermittendum immediato Superiori, vel etiam Provinciali. Solent enim hi esse attentiores ad suae Provinciae, vel collegii utilitatem etiam insensibiliter, atque incogitanter. Sapienter vero facit Societas, ubi praescribit rationem habendam aequitatis et aedificationis in hoc iudicio; remittendum potius esse de iure, nec spectandam iuris exactionem, sed moderationem potius, et simul scandalum evitandum semper pusillorum, nonnunquam etiam pharisaeorum. Et quidem dimissis professis nihil plane est dandum, nam nihil ipsi possidere possunt. Formatis coadiutoribus dari aliquid posset, dimissi enim possidere possunt, sed his fere non erit causa quare aliquid detur. Scholasticis ut detur, erit aliquando maior causa, et frequentior quidem iis, qui habentur adhuc pro novitiis post biennium; longe maior ante biennium. Animadvertendum autem erit in hac re, num sat consulte illis fuerit indicta distributio, aut sat opportune, vel an illam ipsi inconsiderate fecerint, nec Superiores prohibuerint. Alia etiam pro rerum circumstantiis sunt consideranda et semper ad remissionem iuris nostri spectandum, et ad nostrorum et aliorum aedificationem, ne videamur ad temporalia bona propensi. Ceterum, si ficte in Societate

fuisset, dubium non est, non illi restituendum quantum tempore fictionis in eius victu et vestitu esset expensum, et eo etiam amplius in eius poenam, et aliorum exemplum.

Et si amplius, quantum. Significatur omnia illi non esse danda, et tamen videtur aequitas eo se posse extendere, ut omnia etiam illi, quae donasset, viderentur restituenda.

IN DECLAR. IV. CAP. II. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Eiusdem habitu induti fuissent. Hoc de iis non statuitur, qui vota ediderint iuxta Societatis Constitutiones, sive scholastici sint, sive coadiutores, sive professi. Hi enim ex Indulto Pauli III in quocunque habitu fuerint apostatae, possunt legitime a Societate compelli, ut ad obedientiam suam redeant, et disciplinam. Neque etiam si ad professionem usque progrederentur in alia Religione, quicquam ratum esset. In his igitur suo iure uti poterit Societas. In aliis vero, qui vota emiserint post biennium, et in novitiatu nihilominus continentur, poterit Societas interpretari irrita esse quae fecissent, modo professionem in alia Religione non emisissent. In iis autem, qui ante biennium se se votis propria voluntate obligassent, non tam facile quidem, sed idem tamen poterimus interpretari; siquidem et hi ex consilio Societatis vota edunt, etiam si non ex praecepto. Quocirca ne in his

quidem impediet indutus habitus monachalis, si ad professionem non fuisset excursum. Reliquum est, ut de iis tantum novitiis sit necessum Constitutionem intelligi, qui vota adhuc non habent Societatis, tametsi in his quoque non esset impedimentum assumptus habitus, si per fraudem id fieret, vel alioqui non vere. Haec dicimus e Societatis interpretatione. Verum vis adhiberi non potest, nisi ex litteris Pauli III et Pii IV et V. Ceterum, si quis ad Carthusiam ingrederetur, et habitum sumeret, is recipi non posset. Esset enim in eo illud essentiale impedimentum propter eius libertatem, et sic eiectus indueret habitum quemcunque.

Num fieri debeat. Probationes quidem facere debent quotquot denuo recipiuntur. Satisfactio igitur est intelligenda, quae ad resarciendam offensionem imponitur, quam attulisset illa discessio, vel dimissio, et discessio quidem semper meretur satisfactionem, dimissio non semper. Potest enim absque culpa aliquis dimitti.

Possent constitui. Commodius fiet, si ipsi sibi xenodochium quaerant suo nomine id, quod designet Superior; ne si quid illis in ea probatione accideret, attinere illud videri posset ad Societatem. Alias probationes omnino praescribet Superior, praesertim domesticas; et utilius quidem videtur fore, si illi prius dentur exercitia spiritualia, et deinde ad xenodochium mittatur.

Praeteritae levitatis. Phrasis haec est Patris Ignatii. Solebat enim pro eius singulari mansuetudine levissime de alienis peccatis enunciare. Nam alioqui compertum est, grave esse eorum peccatum, qui Religionis suae, et votorum sunt desertores. Non ita tamen

gravis est culpa eorum, qui quatuor adhuc illa vota scholasticorum non emiserunt; sed ne haec quidem est levis. Nullus enim ad probationem saltem secundam admittitur, qui non voveat vel promittat se post primum annum de suis bonis dispositurum ad pietatem, quando Superior iusserit. Quod si nulla alia esset culpa, certe illa est quod deserit suam vocationem; quod etiam si esse possit absque mortali peccato, tamen gravi culpa non caret, sponte sua beneficium Dei abiicere; et hoc est unde his hominibus saepe male accidit.

IN DECLAR. I. CAP. III. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Qui in via spiritus non bene procedunt. Non legitur in exemplari hispanico *bene;* sed simpliciter qui in via spiritus non procedunt. Paraphrasis non displicet. Intelliguntur enim turbare posse novitios, non ii solum qui in spiritu non procedunt, idest saeculares homines, sed illi etiam, qui etiamsi spiritu, et bono fortassis, ducantur, non tamen nostro spiritui et vocationi accommodato.

Videat Superior. Immediatus, si eam habeat auctoritatem, ut pro suo arbitratu suos, et praesertim tentatos, vel alioqui afflictos possit ad alium Societatis locum transmittere. Nam ea non erit Rectoris, vel Praepositi localis potestas ordinaria. Neque horum arbitrium necessum erit, ut alii Rectores, vel Prae-

positi probent, sed erit Praepositorum Provincialium in sua Provincia, Commissarii in commissis Provinciis, Generalis in universa Societate. Hanc tamen committere hi poterunt Praepositis et Rectoribus, quoad videbitur ex circumstantiis convenire in Domino.

Nisi particulares ob causas. Quae facerent, ut nulla offensio novitii, nullum periculum timeretur.

Qui supremam curam habet. In ea domo, vel collegio. Non enim eam facultatem dare poterit Minister.

Considerabit Superior. Hic locus de novitiis quidem intelligi videtur in constitutione, ut cum socio egrederentur, et tempore P. Ignatii, et P. Laynez est usurpatus. Alii enim omnes soli domo egrediebantur; et hoc quidem spectat ad perfectionem Instituti, ut post novitiatum omnes nostri ea sint constantia, atque integritate, ut soli mitti possint, nec ille delectus, et cautio necessaria sit, quae in novitiis. Haec quum ita sint, voluit tamen P. Ignatius, quae hic tradi proprie pro novitiis videntur, intelligi simul posse de omnibus. Cum delectu enim solos misit, et veteranos. Nam ad confessiones audiendas extra nostrum templum nullum misit solum, non ad concionandum, non ad iuvandos moribundos. Censuit igitur rem totam in omnibus esse arbitrio Superioris permittendam. Itaque haud dubie ille intellexit futurum, quod fecit tertius Generalis noster P. Franciscus, qui voluit ut omnes cum socio domo egrederentur. Et tamen huius regulae simul voluit esse exceptiones, nam et emptor solus obambulat, et selecti coadiutores; Sacerdotes soli non egrediuntur propter decentiam. Itaque reliquus etiam est sensus quidam libertatis antiquae, et prioris usus.

Ut plurimum Novitios. Quod hoc loco, et aliis

multis vertitur, *ut plurimum*, est hispanice *comunemente*, quod universaliter esse constitutum intelligitur, sed ita tamen, ut locus innuatur esse relictus epiikiae. Quod vero ad rem praesentem attinet, de privatis colloquiis novitiorum locus est interpretandus. Nam possunt alioqui inter se novitii colloqui, si quando a prandio, et coena simul quieti dant operam, praesente aliquo, cum quo colloqui libere possint.

Sic etiam si duo. Facile intelligimus non esse permittendum, duos habere in eodem cubiculo suos lectos, nisi necessitas cogat. Nam ita sunt domus et collegia, vel aedificanda, vel reficienda, ut singuli in suis habitent cubiculis.

Ordinarie unus. Est hispanice *ordinariamente*, quasi dicas: praescriptus ordo hic est, ut nullus in alterius cubiculum ingrediatur; cuius rei si facultas detur a Superiore, id praeter ordinem fiet.

Ut et Superior. Non propterea solum iubetur patere ostium, ut Superior, et alii ministri ingredi possint quoties libeat, vel conveniat; sed ut qui in eo cubiculo alloquuntur in propatulo sint et quivis videre, quid rerum agant, possit. Nam alioqui iubentur omnes non ita observare ostium suum, quin possit Superior, et quivis libere aperire et ingredi.

Et si qua alia exercitatio. Qualis est si publice in refectorio reprehensiones fiant, quas *cappellos* solemus vocare, vel ubi aliquis enarrare iubeatur aliquam lectionem, ad specimen dandum eruditionis et ingenii, vel etiam ad exercitandam facultatem docendi. Solent item orationes a rhetoribus recitari. Verum reprehensiones communiter in domibus et collegiis fieri solent; lectiones in collegiis.

Quae habet penes se. Apud se quidem de rebus suis: pecunias quidem nullo pacto poterit retinere; ex aliis fortassis aliquid permissu Superioris poterit, ut si libris suis uti permittatur, vel vestibus etc. Alia si quae praeterea habeat, dabit procuratori custodienda, vel ei, cui erit haec cura demandata.

Sive ecclesiastica. Ut si praesentationem ex patronatu, vel alio iure familiae expectaret.

Ante ingressum. Dubium non est posse quemvis de bonis suis pro animi sui sententia statuere, antequam ad nos veniat. Itaque, si antequam de horum proposito sciamus, bona distribuerint, locus non erit, ut eos admonere possimus, ne inconsulte de suis bonis statuant, priusquam recipiantur; sin antequam distribuerint sciamus, commode admonendi essent, ne facile de suis rebus statuant; ne si illos fortassis poeniteret, praesertim ante exactam probationem, tum tandem intelligant praepopere se fecisse, et suae eos distributionis poeniteat; et tamen sciant ad perfectionem spectare, si animo ante ingressum renuncient omnibus bonis.

Sed postquam ingressus. Debet quidem religiose bona sua distribuere, hoc est perfecte ex consilio Christi, etiam si ante annum distribuat; post annum vero additur obligatio ex promissione, quam initio fecerint.

In consanguineos. Etiam si hoc videri possit non necessario hic repeti, quod adeo est diligenter in Examine traditum, tamen ad plenitudinem spectat statuti; abundans enim cautela non solum nocere non potest, ut dicitur, sed necessaria etiam est plerumque in re praesertim gravi, et quae facile praeteriri vel negligi posset.

Sperando quod ea cessabit. Non erit igitur severe nimium agendum, si haec spes appareat; quin potius indulgendum vel dissimulandum; contra vero, si illa spes non esset, ex praescripto esset agendum.

Vel quidem Superior. Insinuatur utilius censeri, modo fieri commode possit, ut idem non sit Magister novitiorum et superintendens rerum spiritualium. Ille enim res externas observabit, et in suo foro res internas gubernabit in Domino. Et haec quidem inter novitios; nam ubi non sint novitii, alius necessario erit hic superintendens, qui hactenus confessarius esse solet, ubi proprius non est superintendens.

Fere semper. Id hispanice est, *comunemente,* quod ita non videtur fuisse vertendum, quasi non in universum arceantur ab ingressu mulieres. Nam si necessaria est dispensatio, ut ingrediantur, non fere semper prohibentur ingredi, sed semper: itaque potius *semper* verterem; intelligerem vero, in quo tamen aliqua fieri possit dispensatio, quod exponit declaratio.

Sed si illae. In Constitutionibus est annotatum, non leviter quidem prohiberi ingressum mulierem in domos nostras vel collegia. Rursus tamen hic est admonendum, ne ex hac declaratione accipiatur occasio facile in illa constitutione dispensandi: neque has qualitates mulierum est arbitrandum sat esse posse ad legitimam dispensationem, nisi illae fuerint qualitates publicae et notoriae, et publica etiam aedificatio consequatur animarum ex illarum ingressu.

Iis tantum. Non hoc intelligimus, eos non esse declarandos defectus, qui publici sint, illis, apud quos poenitentia agitur. Sed si forte aliquibus essent noti, et ab aliis ignorarentur, vel aliquo pacto praetermitti

commode cum aedificatione possent, eos dicimus praetermittendos, ubi scilicet aliquid esset gravius, quam ut per illam externam satisfactionem dilui facile posset, et offendiculum praeterea daretur fratribus, si publicaretur. Intelligerentur enim illa graviora acriori poenitentiae reservari, ac secretae, non esse illius publicae, quae ob leves culpas instituta esse videtur et ad aedificationem, quoad eius fieri poterit, est conferenda.

Novae opiniones. Donec novae vere sunt, nec factae sunt per alios communes, etiam si videantur veriores.

Doctores communiter sentiunt. Communes igitur opiniones tenendae, non singulares, etiamsi novae non sint.

Definitioni ipsius Societatis. Definiet vero Societas semper, Christo Iesu propitio, iuxta Sanctae Romanae Ecclesiae definitiones, ac sequetur communem Doctorum sententiam.

In opinionibus etiam. Ubi communis opinio reperiri non potest, conformitas tamen tenenda est. Quare operae pretium faceret Societas, vel Generalis Praepositus, si et quae sint communes opiniones designaret, et ubi communis internosci non potest, quae esset a nobis tenenda, id etiam praescriberet, ut ex uno consensu omnes diceremus.

Intra quod. Non de confessione hoc solum intelligimus, sed de communione etiam, nisi de consilio confessarii a communione abstineretur.

Qui autem alio, quam suo. Nulli quidem licet alii, quam suo confessario confiteri; facultas tamen est usitata, si cui aliqua occurrat necessitas, vel non occurrat proprius confessarius celebraturo, is alteri do-

mestico confessario ut possit confiteri; dari etiam solet facultas a Superiore domus, vel collegii iis, qui alio mittuntur, si socium non habeant Sacerdotem Societatis, cui confiteri possint, ut externo confiteantur. In his igitur eventibus, ubi redeunt, ad proprium confessarium iam inde instituere debent suam confessionem, postquam illi non sunt confessi, vel saltem illa repetere, quibus eorum conscientia praecipue gravabitur. Si vero aliis ex causis, quae evenire possunt, daret Superior vel confessarius licentiam, ut alii confiterentur, redeuntes ad suum, non erit necessum quicquam repetere.

Cum his, qui ex se. Cum his etiamsi dispensari possit, nec necessum sit eos in ratione orandi, vel meditandi instruere, non difficile tamen illis est concedendum ut absint, quando communiter instruuntur fratres in rerum spiritualium exercitationibus, neque illis tempus orationis contrahendum.

Vel qui occupationibus. Hi poterunt a publicis exhortationibus abesse, si ita necessum sit propter occupationes, nec alius ea hora illis substitui possit ex veteranis; sed tamen erunt iidem eo diligentius privatim instituendi ac dirigendi: ac solet quidem in collegiis haberi exhortatio peculiaris ad coadiutores temporales.

Idem caveant qui in Ecclesiis concionantur. Hoc concludendum est parenthesi; nam quod sequitur *nisi prius* etc. ad eos refertur, non qui in Ecclesia ad populum concionantur, sed qui domi ad fratres. His enim aliquando licebit reprehendere vel in fratribus, vel in domestica consuetudine; nunquam tamen inconsulto Superiore: illis vero qui ad populum concio-

nantur, nunquam licebit res Societatis in publica concione perstringere, nec id unquam probare debebit Superior. Haec quum ita sint, tamen similiter intelligere possumus nullum esse a nostris hominem, nullam Congregationem nominatim in publicis concionibus taxandam, nisi consulto et probante Superiore, qui illud non probabit, si necessitas id non efflagitet, publica item aedificatio, et utilitas: ne contra fiat quam praescribitur in decima regula ex ultimis exercitiorum.

In secreto animi. Non erit tamen abs re, si quum primum ita vota emittunt in corde, simul ex scripto ea legant coram tribus aut quatuor fratribus privatim.

N. *Suam.* — V. *Ad eius memoriam.* Memoriam intellige practice, piam scilicet ac devotam, et unde moveantur attentius ad accuratam votorum observationem. Neque illud est praetereundum, ut suorum votorum exemplar Superiori exhibeant privatim, ut Superioris item iuvetur memoria, et ipsi simul firmiores fiant, et constantiores.

Eo modo quo Dominus. Non eodem exemplo; non enim ad specimen obedientiae capiendum sunt ea praecipienda, quae contra legem divinam esse videantur; sed possunt, quae videantur impossibilia esse, vel supra eorum vires, vel admodum difficilia, etiam aliquando quae adversus leges Societatis appareant, ad illum finem iuberi.

Confessionibus audiendis. Studia quidem litterarum, qualia in collegiis exercentur, interdicuntur domibus professis, et novitiorum. Nam nullus deberet e studiis collegiorum ad professarum domum ministeria traduci, qui non esset ad arbitrium Superioris sufficienter eruditus, non speculative tantum, sed pra-

ctice etiam iuxta gradum, in quo esset collocandus. Itaque convertendus illi esset animus, et facultas illa ad adiuvandas animas; studia non negligenda, sed ministerium magis eligendum, atque adeo unice retineri etiam poterit studium necessarium et utile ad resarciendum, si quid praetermissum est in collegiis; tum quod erit vel necessarium, vel utile ad omne ministerium, tum etiam studium necessarium ad eruditionem conservandam non prohibetur; si quid etiam vacabit temporis, promoveri studia poterunt. In domibus autem probationum, litterarum studia illa duntaxat permittantur, si qua necessaria videantur ad ea ministeria, quae conferuntur ad iuvandas probationes et novitios, et ea quidem practica, et devota etc.

IN DECLAR. II. CAP. III. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ab indecoro. Nobis illa est indecentia fugienda, quam ratio nostri Instituti ac religiosi status ferre non debeat.

Ex iis, qui studiis vacant. Hi sunt vel scholastici approbati, vel qui antequam designentur scholastici approbati, litteris dant operam; professi praeterea et coadiutores, qui docent in collegiis, et qui, confectis studiis, exercentur in ministeriis professae Societatis, praeter novitios, si qui fuerint; eadem enim erit in illis ratio, siquidem eorum omnium idem victus est, idem cultus.

Et quia collegia redditus habent. Colligimus quidem hinc, eo spectare collegiorum dotationem sua ex parte, ut commode possint accipi ac tractari scholastici nostri, ne in externis his rebus patiantur, unde possint studia impediri. Sed tamen illud est simul, et quidem accurate animadvertendum, atque observandum; ne propter collegiorum affluentiam, vel obolus insumatur superflue, vel curiose, vel omnino praeter Instituti nostri rationem: et firma semper perseverare haec memoria debet, pauperum esse illos redditus; pauperes esse, qui illis utuntur; ex virtute paupertatis, et Superioribus esse dispensandos, et inferioribus utendos, iuxta tamen Societatis consuetudinem, ac probatum usum.

Cum iis vero. Ne intelligas hoc ad personarum acceptionem spectare, sed ad rectam ac suavem distributionem pro rerum necessitate conferri; fieri autem debere ex consilio medici, sed admoniti paupertatis nostrae et Instituti, ne ex affectu ille agat, nec nimium artis, et suae existimationis securitati faveat.

A prandio. Est hispanice *despues de comer*, quod interpretari possumus post refectionem, et non solum prandium intelligamus, sed coenam. Et haec quidem recepta est consuetudo in Societate, vivente P. Ignatio, ut horam unam a prandio, item unam a coena a gravioribus exercitiis vacent nostri, et otium agant honestum, quo suaviter corpus, anima, atque spiritus reficiatur mutuo fratrum et Patrum colloquio, praesente tamen aliquo censore secreto. Aestate vero in collegiis plus temporis dari quieti potest, praesertim ubi aestus est vehementior. Solet addi dimidia hora aliquando intra sextae et septimae horae spatium.

V. *Sex aut septem horarum circum circa.* Ex hispanico exemplari melius vertitur *a sex ad septem horas,* ut intelligamus tempus somno dandum extendi posse a sex usque ad septem horas, nec brevius esse debere sex horis, nec longius septem. Ceterum definitiones huius temporis usus Societatis expressit. Nam eo tempore pulsatur ad dormiendum ac surgendum communiter, ut sex horae cum dimidia pro somno relinquantur. Voluit postea tertius Generalis, ut integrae septem horae somno relinquerentur.

Certa regula praescribi nequit. Quae dispensationes admittere non possit.

Ut detrahatur, vel addatur. Addi quidem non adeo difficulter potest, ubi naturalis necessitas id postulet; difficilius longe detrahi.

Pater quidem Ignatius nullam volebat exerceri mortificationem, qua somnus minueretur, sed solebat potius satagere, ne consueto somno privarentur fratres.

Praepositi. Ut saepe solet, ita hoc loco Praepositus complectitur omnem Superiorem, sive domus, sive collegii.

Quantum fieri poterit. Certum est non attinere hoc ad interpretationem, vel dispensationem, ut aliter privato consilio integrum sit facere, quam praescribat medicus; sed significatio est vehemens ad praescriptum esse omnia servanda, quae praecipit medicus.

Nec animi propensionem ostendere. Ac ne habere quidem deberet, quod esset perfectius. Hoc si non contingat, mortificandae saltem sunt propriae inclinationes, et in aequilibrio obedientiae consistendum in Domino fortiter.

IN DECLAR. PROOEMII IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Vel imprimis. Non infirmat hoc illam necessitatem, sed explicat; et innuit unde sumatur.

Ut qui in eam sunt ingressuri. Professam scilicet Societatem ad animas iuvandas ministerio verbi; et hi quidem sunt qui fiunt professi, vel coadiutores spirituales formati, de quibus propterea ita loquitur declaratio, quasi de omnibus. Quoad coadiutores temporales, quamvis vere sint e Societate, tamen certo numero recipiuntur ad hunc finem, ut professi et coadiutores spirituales non avocentur a suo spirituali ministerio propter temporale.

Tum propter magnam. Quam non facile subire solent, qui docti evaserunt in saeculo, tum propter persuasionem scientiae et proprii iudicii amorem, ac confirmationem; tum propter passionum habitum coniunctum, si nihil aliud, cum excusationibus, quas eruditio et proprium iudicium intrudit: breviter non facile hi se ad humilitatem, et sui abiectionem comparare solent.

Alia via. Nil tamen propterea animum despondere debemus, vel omnem diligentiam non adhibere ad illos recipiendos, qui litteris instruendi non sint, sed utrumque pari solicitudine curandum in Domino, ut docti recipiantur, simul ii, qui vel omni vel aliqua ex parte sint instituendi. Atque adeo dubium non est, primo

loco esse invigilandum, ut doctissimi recipiantur; deinde ut quo eruditior quis fuerit, eo diligentius quaeratur, et facilius recipiatur, si alia non desint.

Iam fundata. Vel etiam fundanda.

Quarto. Agitur praeterea diligenter de Academiis Societatis, quemadmodum instituendae, quae sint in eis disciplinae tradendae, qua ratione, quibus auctoribus; de studiorum periodis, ac promotione ad graduum insignia, de bonorum morum institutione, de Academiae functionibus, ac ministris etc. Haec omnia voluit declaratio intelligi in quarto hoc membro, quod Universitates sint partes collegiorum nostrorum.

IN DECLAR. I. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Et in eo loco. In eo collegio Societatis, ne fortassis externi, quorum interest, exigere possint solemnitatem e ritu urbis, vel oppidi, non collegii.

Candela. De pondere huius candelae, vel cerei, cum nihil statuatur, poterit Generalis Praepositus pondus definire ad honestam quandam mediocritatem, qua et externis satisfieri possit, et ambitio et superfluitas evitari, ut in ea tamen candela, vel cereo decenter possint insignia fundatoris appingi.

Dicentur huiusmodi Missae. Sed quando ibi morietur primus eorum, qui erant in Magistratu, quando tradita est collegii possessio Societati; et applicabuntur illa sacra iis omnibus, qui suffragium dederunt ad

fundationem sive mortuis, sive morituris, et in universum pro animabus totius illius Reipublicae.

Ea pars. Quae suffragia conferuntur in fundatores, simul benefactores, si qui iuverint fundationem, complectuntur, ut constitutio tradit. Haec vero declaratio non agit de benefactoribus in universum, sed de iis tantum qui initium aliquid fundationi dederunt, et pro fundatoribus tamen non habentur. His igitur privilegium fit ad arbitrium Praepositi Generalis, ut specialiter pars aliqua suffragiorum, qualia sunt fundatoribus praescripta, illis applicetur. Ita fiet ut qui initium dederit collegio, is partem suam habeat suffragiorum.

IN DECLAR. II. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Qui ius habent suffragii. Hi sunt Provinciales et qui interfuerunt proximae Congregationi generali cum suffragio; qui si fuerint mortui, in mortuorum locum singuli Provinciales eligere suos poterunt, et substituere ex Generalis Praepositi praescripto, ut ex tertio capite octavae partis Constitutionum elici potest. Verum hi ad tempus, et praesentem necessitatem eligentur, atque ubi suum suffragium dederint, vel scripserint literis binis ad Generalem Praepositum, censebuntur et erunt abrogati. De his suffragiis ita dicitur, quia ex diplomate confirmationis Instituti, ad dissolvendas et alienandas domos, vel collegia, concilium necessario est convocandum; intelligitur maior pars professae

Societatis iuxta Constitutionum declarationem. Maiorem vero hanc partem exponunt Constitutiones esse Provinciales cum duobus professis quatuor votorum in singulis Provinciis, ut constat ex praedicto capite, tametsi coaiutores formati suffragium habere possint in dissolvendis collegiis.

Sed si ipsa curam. Ut bonam fidem praestet Societas fundatoribus, sunt hi admonendi serio, ut constituant quid velint de dotatione collegii fieri, ubi Societas nollet praestare, quae sunt praescripta ex fundatione, et plene omnem curam collegii, et omnem functionem vellet dimittere; num ad aliud pium opus velint illam applicari dotationem, an vero liberaliter ac confidenter omnia relinquere in arbitrio Societatis, iuxta eius Institutum.

Prout ad maiorem Dei gloriam. Modo nihil Societati professae donetur, quocunque nomine, aut colore accepto, sed tantum id poterit collegiis, vel domibus probationum applicari arbitrio Congregationis, vel Praepositi Generalis; modo ad perfectionem spectetur in ea applicatione, ut scilicet fiat ad maiorem Dei gloriam. Faceret tamen ad communem aedificationem, si in eo rerum eventu Societas aliquam partem applicaret alicui pio operi externo, atque adeo si rem totam; et simpliciter quidem ad maiorem aedificationem proximi haec erit facienda distributio.

Commensuratae. Est in autographo *proportionadas,* idest proportione respondentes. Haec autem proportio intelligi potest, si pro magna redditus amplitudine paucarum Missarum obligatio suscipiatur, ut huiusmodi obligatio non censeatur magnitudini dotationis proportione respondere, nec prohibeatur. Contra

vero, si parva obligatio in parva dotatione suscipiatur, vel magna in dotatione magna, ut videatur obligatio dotationi respondere, et prohibeatur. Verum haec explicatio dubia est. Videbimur enim parvam obligationem Missarum admittere pro redditibus posse, modo nulla esse proportio videatur, ut si pro dotatione magna recipiatur obligatio unius Missae singulis hebdomadis. Igitur simplex videtur esse huius loci intelligentia: nullam prorsus obligationem Missarum, vel huiusmodi rerum admittendam, quae referatur ad dotationem, vel proportione aliqua respondere videatur fundationi, vel possit.

De aliis obligationibus. Huiusmodi obligationes suscipi quidem possunt, sed ita tamen sunt suscipiendae, ut nulla contrahatur obligatio, qua hoc pro illo fiat; hoc est, ne dentur lectores pro dotatione etc. Sed cum aliqua obligatio intercedere possit, ea sit, qua ex suo Instituto, et concepta formula collegiorum obliget Societas, primo loco, illud collegium et Provinciam, ubi donationem accipit et fundationem, deinde se se universam. Respicere tamen nihil oberit ad voluntatem fundatoris, nullo tamen inito pacto vel conventione cum ipso, vel obligatione. Quod si nihil suae voluntatis explicet fundator, sed omnia velit ex Societatis solius arbitrio transigi, non erit quidem cur necessario eius voluntas spectetur, sed eo tamen diligentius Societas dabit operam, ut ornatissimum collegium perpetuo stabiliatur. Quod si difficilior esse haec ratio comperiatur, quam pro hac aetate, ubi aliqua fundationum exempla superiorum aetatum solent homines facere minus fidentes, vel liberales; non esset alienum aliquam accipere lectionum obligationem, nul-

lam concionandi, vel audiendi confessiones, nec alia ministeria spiritualia, vel ecclesiastica obeundi: ea tamen lectionum obligatio ita contrahatur, ut sit Societati liberum, quoties ipsi videatur, totam obligationem deponere. In eum vero eventum statuat fundator, quorsum velit applicare suam dotationem. Duae igitur sunt hae rationes fundandi collegia: ex his ea, quae priori loco exposita fuit, primo desideranda, ac procuranda est, ut in qua et puritas, et perfectio Instituti nostri eluceat, fides ac spes alantur in Christum et eius Spiritum, Societatis ac Religionum omnium auctorem. Abiguntur vero diffidentiae ac timiditates ex imbecillitate humani ingenii derivatae. Quae autem secundo loco adiicitur, ea ex concessione Societatis fieri potest, quae infirmitates etiam hominum sufferre boni consulit, et diffidentias sublevare. Colligitur vero haec secunda ratio fundationum ex hoc capite Constitutionum, ex huius loci declaratione, ex declaratione sequentis capitis, ex septimo capite Constitutionum et Declarationum et ex undecimo Constitutionum et Declarationum huius partis atque ex tertio capite Constitutionum nonae partis. Priorem rationem secutus est P. Laynez Praepositus Generalis. In secunda, praeterquam quod laedere plane videtur paupertatis perfectionem, incurrere possunt multae, et magnae difficultates; et illa inter primas. Nam, si fiat mutua illa obligatio, quo pacto constabit libertas Societati relinquendi collegium? Ex pacto enim cogi posset ad fidem servandam, stante saltem dotatione, nec sat esset causae, quod se sentiret gravatam eo onere, et nollet iuvare fundator, vel successores. Quam libertatem accipimus ex secundo capite quartae partis Constitutionum, certe non facile

persuadebitur fundatori vel successoribus, ut sola Societas iudicet de causis, quapropter velit relinquere collegium. Utcumque acciderent huiusmodi difficultates, meum tamen hoc est iudicium, ut nulla mutua obligatio in fundationibus suscipiatur, ut hoc pro hoc esset faciendum, agendumve; sed, si priori rationi nollent acquiescere fundatores, nec illi P. Laynii, in secunda nos essemus firmi, ut fundator quidem e suo scripto collegium fundaret, et dotaret iuxta formulas varias traditas a P. Laynez, vel si quid amplius vellet addere. Nos vero reciperemus collegium, non mutua obligatione; sed ea, quam possumus ex Instituto et Constitutionibus, ad quam possumus cogi a nostris Superioribus, et tandem a Summo Pontifice, et ad illam, quam voluit et expressit fundator; vel teneamur relinquere totam fundationem libere in manibus fundatoris. Sic constare poterunt nobis omnia. Nec poterunt fundatores plura a nobis exigere, quam beneficiorum fundatores ab Ecclesia. Non enim ad curam animarum, vel Missas celebrandas mutuo obligatur Ecclesia pro redditibus, sed suscipit fundationem ecclesiasticam, ad quam possit cogi, qui beneficia possidet, ecclesiastica potestate.

Societas in usum etc. Etiamsi Societas actu quidem praescribere possit Generali, quae ad collegiorum administrationem attinent, ubi actu est congregata, et potentia quidem semper habeat hanc facultatem; est tamen alioqui ius totum administrationis in Generali. Nam praeter pauca, quae solus Generalis non potest absque Societate, cetera pleno iure potest, ut in diplomatibus confirmationis legimus. Ita igitur hunc locum intelligamus, ut auctoritate Societatis, virtute quadam

et potentia, vel Generalis Praepositus vel Provinciales administrent redditus Collegiorum, sed Generalis etiam actu propria, Provinciales ex Generalis commissione. Quod igitur dicitur, Societatem per Generalem Praepositum, vel Provincialem administrari, nihil aliud est quam Generalem Praepositum administrare etc.; quod cum facit, tantundem est ac si tota Societas id faceret; vel administrat quidem Generalis virtuali facultate Societatis, et ex praescripto Constitutionum, quas sine Societate Generalis condere non potest, vel abrogare.

Ac eiusdem Praepositi. Ex hoc loco confirmatur superior expositio. Nam et illud est Praepositi, et hoc propria auctoritate.

V. *Qui probantur.* Exigitur probatio proprie quidem in domibus probationum; potest etiam idem fieri in collegiis, et domibus professorum. Prima cura igitur, et provisio eorum, qui in collegiis probantur, incumbit Rectoribus eorum; qui in domibus professorum Praepositis suis localibus; illorum qui in domibus probationis Praefectis probationum. Neque necessum est intelligere iis, qui in domibus professis probantur, debere Rectores victum suppeditare, sed Praepositos locales; nec iis, qui in domibus probationum in novitiatu versantur, sed Praefectos probationum, nisi coniuncta sit domus probationis cum collegio, et Rectoris sit cura et collegii, et domus. Haec quum ita sint, interpretanda est declaratio de domibus probationum, quae distinctae non sunt a collegiis, et de vestibus, et viaticis, quae erunt danda iis, qui ex probatione, quae fiet in domibus professis, mittentur ad collegia, quod exponitur secundo capite Declarationum sextae partis.

Extra eam gerunt. Ultimo capite nonae partis Constitutionum ita citatur hic locus, quasi intelligatur designanda domus aliqua extra nostras domus et collegia ubi habitent, unde negocia Societatis tractent procuratores nostri. Verum, si separatim omnino habitaturi sint Procuratores, commodius erit et decentius, si in seposita quidem parte collegiorum habitent, quae pars suam quidem habeat ianuam ad vicum publicum, qua saeculares homines ad procuratores nostros ventitare possint. Alia pertineat ianua interius ad collegium, cuius et ianitor habeat clavem, et Procurator.

In proprios ipsorum usus. Ac ne in alios quidem ullos, quam collegiorum.

V. *Vel quicunque.* Est in hispanico exemplari *vel personae similes;* intelliguntur vero alii professi trium votorum, in quibus similes sint causae, et formati coadiutores, ut constat ex secundo capite sextae partis Constitutionum § *coadiutores.*

Huiusmodi utilitati. Quae spectet proprie ad ministerium collegiorum institutum, et conservationem, et quae non sit vulgaris.

Mensa per diem. Unum ut minimum, tres ut summum, et tertium quidem non absque necessitate: quod si incideret in morbum, impensas resarcire deberet domus vel collegium, unde esset missus ille.

Vel modicum quid viatici. Non videtur proprie accipi disiunctio, ut si mensa detur, viaticum non detur.

Vel quid simile. Ut si calcei, vel necessitas aliqua vestis suppleatur, quae esset utilis impensa.

IN DECLAR. III. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

A Christi Vicario. Vel etiam a Nuntio Apostolico intellige, vel a Summo Poenitentiario, ut dicitur capite tertio declarationis primae partis.

Si in collegiis Societatis. Tota haec § fuit in Constitutionibus diu; quae vero sequuntur quatuor, erant, ubi nunc sunt, in Declarationibus. Fuit postea haec § in Declarationes relata a P. Ignatio, cui praeter ordinem suae Declarationes e vestigio coniunguntur. Hoc admonitos volui nostros, ut intelligant § *quamvis* esse declarationem loci: *non suppeteret;* § *paupertas* loci: *alios pauperes scholasticos;* § *aetas* loci: *convenientem aetatem* etc. postremo § *aliqui* declarationem esse loci: *et habitatio* etc. ut antea fuerant, quam § *si in collegiis* traducta ad Declarationes esset.

Non suppeteret. Num minime suppetant, aut reperiri possint huiusmodi scholastici, id erit iudicium Generalis Praepositi. Quoad sint expectandi, vel quaerendi, id quoque idem iudicabit. Neque tamen expectabit tandiu, ut fiat dissimulationis suspicio fundatoribus, vel etiam aliis, et privari videantur externi pauperes suo iure, et utilitate; sed omnia ex spiritu Dei, et charitate, tum recta ratione censebit providenter.

Et ad tempus, quod ei videbitur. Neque enim erit necessum omnino ad septem annos recipi huiusmodi

externos scholasticos, sed ut summum ad septem annos, ut est exponendus locus nono capite declarationis huius partis. Nam ad maius tempus dispensatione opus erit. Porro, ne receptio haec pariat detrimentum collegio, si statim, ubi ad numerum collegii unus aut alter desideretur, accipiantur externi. Nam poterunt paulo post plures, qui petant ad Societatem recipi, advenire. Ne igitur collegium aliquod patiatur detrimentum, poterit haec adhiberi industria, ut non continuo, postquam unus aut alter praeter nostros possit in collegio sustentari, externi illi recipiantur: sed aliquibus annis prius reserventur pecuniae, quibus alendi sint, qui postea aliquo numero recipiantur; deinde separata ad illorum habitationem parte collegii, in ea cum iis, qui ad gubernationem eorum et ministerium erunt necessarii, collocentur. Constituet de his generalis Congregatio, vel Generalis Praepositus, si illa non providisset, et res urgeret.

Impedimenta illa. Illa scilicet, quae excludunt necessario a Societate, etiam secundaria, si notabiliter impedirent.

Quod boni operarii. Nullus igitur erit recipiendus, qui non polliceatur se sacerdotem futurum, et operarium vineae Domini.

Quod solum in iis. In nostris scholasticis, et in iis scholasticis externis, qui in nostris collegiis alendi essent.

In confessionibus. Intellige item communibus orationibus, examinibus etc. Nam, praeter voti obligationem, et quae ad hoc proprie consequuntur, in reliquis ita instituentur, ac si e Societate essent.

Conformes esse debent. Hoc etiam in ingressu pro-

mittent se esse facturos, ac futuros in obedientia Societatis, quandiu ab ea sustentabuntur.

Expedire iudicaverit. Itaque probatissimi quique e nostris erunt designandi, qui illos possint convenire, et cum eis colloqui.

Tamen non repugnabit nostro Instituto. Non adiecit hispanice P. Ignatius *nostro Instituto,* sed simpliciter dixit: non repugnabit; quod minus est. Quamvis autem dicantur huiusmodi scholastici ad collegia admitti, tamen, quum necessum sit separatim eos habitare, non erit ea propria receptio in collegium nostrum; et primum quidem omni studio, cura, industria agendum est, ne illae conditiones recipiantur. Quod si nulla ratione abigi possint, illud tamen non est omittendum, ut intra eandem ianuam nostri collegii non habitent, sed in domo proxima, vel etiam contigua. Unde si nimium urgeat fundator, aperiatur ostium ad collegium, cuius ostii clavem solus habeat Rector, per quam ad eos possit commeare, et aliquos e nostris mittere; nonnunquam etiam illos, si ita videatur, ad colloquium fratrum admittere, adhibita semper cura diligenti, ut et eorum consuetudo nostros non laedat, et illis nostrorum prosit. Utcumque autem accidat externos huiusmodi ad collegium admitti, ita est intelligendum, modo fundator, praeter collegii dotationem, destinet redditus, unde illi possint sustentari, habitare, gubernari, vel ipsi sibi eas expensas faciant.

Vel ob causas alias raras. Hinc, et ex aliis locis huius capitis, facile est videre quam gravate statuat Societas, externos scholasticos gubernandos iuxta sua collegia suscipi posse; ut simul colligamus quam difficile esse debeat, et grave recipere convictorum, ut

vocant, curam et gubernationem; qui si suscipiantur, non debemus tamen curam rei pecuniariae accipere, neque enim aliter effugere poterimus vel impuritatem paupertatis vel externorum hominum oblocutionem, quasi lucrum sectemur, et marsupium implere velimus. Erit igitur aliquis saecularis designandus, qui curam habeat et administrationem rei pecuniariae, siquidem huiusmodi externos recipiamus gubernandos. Potius esset opera ponenda, ut convictores a probis sacerdotibus, et amicis Societatis gubernarentur, atque e collegio dari possent illis confessarii, et qui haberent apud illos exhortationes.

Et aliquando. Raro igitur, vel non frequenter id fiat oportet; siquidem aliquando, et ob respectus non leves: id enim est hispanice *buenos respectos.* Quandoquidem autem, semel si fiat, et in collegium unus aliquis admittatur dives, non poterimus importunitates aliorum sustinere, ac erit in proclivi, ut passim alii id genus admittantur: magnopere est contendendum, ne haec porta aperiatur, neve accipiamus curam convictorum, nisi fortassis in Germania, et Gallia, donec perseveret haec haereseos lues.

Ad vigesimum tertium annum. Hunc locum ex constanti consuetudine extendimus ad nostros. Nullum enim recipimus ad Societatem pro scholastico, qui vigesimum tertium annum natus nullum fecerit in literis progressum.

V. *Ut cum huiusmodi provectioris aetatis.* Paraphrasis haec est magis, quam versio; nam verti sat fuisset, *ut cum huiusmodi scholasticis:* paraphrasi tamen si utendum fuit, potius erat dicendum, *ut cum huiusmodi externis*, qui propter nostrorum penuriam

ad collegium ad nos recipiuntur, et a nobis aluntur. Nam in universum de his hic locus agit. Etenim ad hos recipiendos non debemus esse propensi; siquidem praeter institutum collegiorum illud est, et multa sunt animadvertenda, ut hi recipi vel possint vel debeant.

Aliqui licet. Haec intelligatur esse dispensatio, et quidem Generalis Praepositi, qui si nunquam ea utatur, melius consuletur collegiorum nostrorum integritati, disciplinae, instituto.

IN DECLAR. IV. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Non sine ratione etiam speciali. Et gravem quidem esse causam oportet, et propter quam videatur esse dispensandum.

Ad Beatissimae Virginis. Et duo scilicet examina habenda, quemadmodum praescribit Constitutio.

Qui ad dicendum officium divinum. In iis scholasticis, qui nullam habent aliam obligationem ad recitandas orationes, praeter eam, quam Societas imponit, facilis erit plane illa commutatio. Nec est quod ad eos, qui ad horas Virginis tenentur, locum extendamus, quasi in his minus difficulter commutari possint. Intelligimus enim comparationem abusive poni, quum in illa obligatione nos non possimus dispensare.

Vel fundatoris. Nimirum ut oretur pro fundatore, quando sacerdotes pro illo Missam celebrant ex praescripto primi capitis huius partis: et tamen alio tem-

pore, quam illius horae, oratio haberi pro illis poterit, et debebit.

Iis vero, qui inexperti sunt. Vix hoc tandem fieri poterit, si ordine procedatur. Nam absque experientiis, quarum est prima exercitiorum, nullus ad studia erit recipiendus. Subserviet igitur locus hic, vel si extra ordinem exercitia non fecerit quis, vel pro iis, qui exercitio meditationum egebunt quocunque nomine.

Desiderant. Non erit praestolandum donec desiderent, sed curandum ut in illis desiderium rerum spiritualium pro eorum captu excitetur.

Partem precum suarum. Idest horarum B. Mariae, vel Rosarii, ut tamen maneat hora integra ad meditationem, et reliquam partem precum, et examina.

Providebunt. Aliis diebus facultas dari poterit, festivis danda non videtur; fortassis enim non potest, vel omnino non decet dari religioso homini, qui quod perfectius eo eniti debet, non sequi quae imperfectiora sunt, vel dubia; ne duas obligationes eodem tempore explere videantur, et duas habere intentiones.

Cum Superioris. Saltem Provincialis.

Aliquando particulari aliqua ratione. Non legimus *aliquando* hispanice. Si igitur particulari aliqua ratione fieri haec mutatio festorum simpliciter potest, cur non poterit universali aliqua ratione, et causa, et ea quidem utili imprimis, et fere necessaria, praesertim ex traditione P. Ignatii, et generali Societatis consensu; ut quandoquidem sexto quoque mense sunt audiendae confessiones generales, ratio conscientiae reddenda, agenda examina, eo ipso tempore vota renoventur, designatis solemnibus festis? Neque erit necessum utrumque festum mutari, sed retento Natalis Domini, ut

alia renovatio fiat ad festum B. Petri et Pauli. Haec propterea dixi, ut quae obtinuit hactenus consuetudo in Societate, ea intelligatur retineri posse. Postea decretum est in secunda Congregatione generali de hac re editum, huic loco consentaneum.

Quod autem promittit. Refertur haec declaratio ad illud tempus, quando et hoc loco in Constitutionibus, et in Examine omnibus fere locis non exprimebantur tria vota paupertatis, castitatis, et obedientiae, quae emitterent scholastici; quod ego vidi, et constat ex litteris autographis P. Ignatii; sed tantum ut promitterent ingressuros se in Societatem: quo tamen voto illa tria concludi intelligebat P. Ignatius, et ad hoc refertur declaratio. Visum autem fuit postea, ut tria illa vota conceptis verbis exprimerentur. Semper igitur scholastici approbati ad tria illa vota obligabantur: ea non semper expresserunt; esse vero exprimenda, id constituit postea P. Ignatius, et Societas probavit in generali prima Congregatione. Retenta autem fuit haec declaratio, ut suavis retineretur memoria illius animi et spiritus P. Ignatii, cum alioqui sit idem, sive exprimantur tria vota, sive non exprimantur; et plenior extet doctrina illius voti intrandi in Societatem.

Et simul in probatione. Tempus studiorum censetur esse probatio, ut iudicet Societas, num in professum sit quis admittendus, an in coadiutorem spiritualem formatum; hanc dicere possumus tertiam probationem, cum qua coniungitur ea, quae subeunda est post studia, unius scilicet anni etc. Res enim ita est, ut illa quindecim vel viginti dierum sit prima probatio, quae transigitur separatim, ubi primum recipiuntur novitii; secunda probatio totum tempus com-

plectitur, quod intercedit donec e novitio quis fiat scholasticus approbatus; tertia est de qua hic attingitur. Ceterum coadiutores temporales duas habent probationes, ut qui studia non habent litterarum.

Haec consuetudo facit. Non solum est haec consuetudo, quasi videri possit extrinsecus introducta, sed nativus et necessarius est Societatis usus, idest executio vel interpretatio Instituti Societatis; et hispanice quidem *usus* legitur, non *consuetudo*. Hic igitur usus post votum ingrediendi Societatem, quo comprehendebatur votum paupertatis, licet essent in probatione nostri, facit ut afficiatur paupertatis votum illa promissione ingrediendi Societatem, quae, ut habet coniunctam potentiam, ita eam communicat paupertati. Itaque necessum non est obligationem paupertatis suam vim totam exercere, dum actus illius promissionis ac potentiae non extat, et fiat quis vel professus, vel coadiutor formatus. Reliqua igitur omnia votum paupertatis habebit ante vota professorum vel coadiutorum, praeterquam quod poterunt, qui ad illa vota non erunt recepti, sustinere possessionem, vel ius bonorum suorum, sive quae actu possident, sive ad quae ius habent; non possident tamen adhuc facultatem etiam illa distribuendi pro sui animi devotione, ex praescripto tamen evangelici consilii, nisi quando vel boni consulet, vel praecipiet Superior post primum annum. Quod vero poterat promissio illa in votum paupertatis tacitum, quando non exprimebatur, idem efficit in expressum, quod nunc editur. Verum de hac re alias et diximus fusius, et dicemus adhuc in sexta parte, Christo propitio.

Intra probationis spatium. Quod ad professionem usque, vel coadiutorum statum perseverat.

IN DECLAR. V. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Legenda etc. Intellige illa privatim legenda. Nam dubium non est, futurum ut quadriennio, dum praeleguntur in scholis Theologia scholastica ex D. Thoma ac libri aliquot ex sacris literis, simul concilia, decreta, Sancti Doctores attingant; nisi ratio alia studiorum instituatur, et quidem compendiosa, et tempus augeatur praelectionum publicarum. Sic igitur erit locus intelligendus: ubi post studia publica, et lectionum publicas auditiones Thomae et sacrarum literarum, non erit locus in collegiis, ut Concilia, Decreta, Sacros Doctores legant nostri; dandum illis tempus, et facultatem, ut id faciant in domibus professis, praeter ordinem, si nullo pacto id fieri in collegiis posset, quod plane deberet.

Vel communis boni. Ex hoc loco colligi potest, quod alioqui erat intelligendum, constitui primum illud oportere, num qui mittitur ad studia, destinetur ad professionem, an ut sit coadiutor spiritualis; nam illis plena studia danda sunt, his non sunt, sed sat esset si literas humaniores addiscerent, compendium praeterea aliquod logicae, et tractatum de casibus conscientiae: neque videtur esse ritus inducendus, ut compendio perlegatur logica, philosophia, et Theologia, et fiant isti cursuli, ut vocant: nam et haec compendia abiecit P. Ignatius, et plane nec professis sufficiunt,

quod dubitari non potest, nec coadiutoribus sunt utiles. Nam hinc verendum, ne fiant nimium confidentes, nec satis considerati, nec tam facile consilium petant, quo tamen indigent, qui plenam scientiam non attingent; illa etiam occasione facile excitari in illis possit ambitio professionis.

Curare deberet. Ex obedientiae praescripto; et hanc quidem eruditionis excellentiam omni studio, ac diligentia curare debent Provinciales, et Rectores, ut si non in omnibus disciplinis, vel pluribus, saltem in aliqua nostri excellant pro ingeniorum facultate.

Mitti possent. Si quidem necessarii sint hi ad confessiones audiendas vel domesticorum, vel externorum, non poterunt tantum, sed debebunt etiam mitti ad collegia, et obiter poterunt literis operam dare. Quod si necessarii non sunt, sed utiles solum futuri, poterunt quidem in collegiis ali, et propter illam utilitatem, et propter aliquam spem studiorum. Sed attente sunt haec administranda, ne importune graventur collegia. Nam praeter hos, alii ministri erunt in collegiis sustentandi.

Quod honestati repugnet. Ita erit necessum, ut multi libri ethnicorum expurgentur, ut enarrari possint et usurpari.

Si tamen malus fuerit auctor. Haereticus scilicet vel de haeresi suspectus, vel alioqui tam malus, ut ex affectione in illum aliqua morum corruptio timeretur.

Constituere. Generalem, vel Congregationem, vel Praepositum. Constituit iam Generalis Praepositus in regulis studiorum, et tamen haec semper egebunt praesenti animadversione.

IN DECLAR. VI. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Nihil prohibet. Hispanice legitur: *no es inconveniente,* idest non est inconveniens: quasi dicas, non omnino pugnat, vel alienum est; tametsi ea ministeria coadiutorum sunt, non scholasticorum propria: quod si vel modice, vel absque detrimento, vel exercitii gratia, illae occupationes suscipiantur, vel omnino tempore quietis humiliationis causa, quo tempore inservire solent coquinae scholastici per vices, boni erunt consulendae. Cavere tamen Rectores debent, ne hac declaratione laxe utantur, sed conservent scholasticorum institutum, et otium scholasticorum tueantur quam poterunt constantissime; ac propterea curandum erit Provincialibus, ut idoneus numerus coadiutorum ne desit collegiis.

Potius. Quia in officiis aliquando coadiutorum exerceri possunt scholastici: haec fit comparatio, non quod ea proprie attineant ad scholasticos, vel non proprie ad coadiutores.

Constituentur. Pro ratione, et amplitudine collegiorum.

V. *Congruit.* Non leviter hoc constituitur, sed vehementer; est enim hispanice *bien*, idest bonum, vel bene, qua phrasi uti solebat P. Ignatius, ubi vehementer aliquid praescribebat: ut tertio capite primae partis Declarationum, primo capite tertiae partis Constitutio-

num. Nec facile dispensandum est, ut promoveantur nostri scholastici, antequam ad finem studiorum veniant, hoc est, antequam audiendi in scholis finem fecerint. Tum enim iudicaturus est Superior, qui sint ad ordines promovendi, ut constituitur inferius octavo capite. Nam praeter eam causam, quam affert constitutio, ne impediantur studia, quae adeo est idonea, ut propter eam tempus orationis, et mortificationis imminuendum censeat Societas; accedit alia, gravis illa quidem, ne fiat per facilitatem dispensationis, ut minus idonei ad sacerdotium provehantur, et occasio detur Summo Pontifici imperandi, ut nullus promoveatur e nostris qui non sit professus, quasi iactura sit ecclesiasticae dignitatis, atque utilitatis etc. si ineptus ordinetur absque professione, qui dimitti a nobis possit: quae fuit occasio accepta a Pio V; utinam non a nobis esset data, unde gravissimum detrimentum et adhuc pateremur, nisi Gregorius XIII nobis succurrisset. Illud periculum, et incommodum vitaremus, si nullum, nisi absolutis studiis, ordinandum proponeremus. Nam nullus ex his esset, qui, si nihil amplius, non posset esse aptus ad parochiam gubernandam. Quod si quis dicat: interea multas animas non iuvabimus; huic facile respondeo, nullam animam nos debere iuvare, nisi ex Instituto. Quod si hoc non possumus, nihil iacturae facimus. Utinam quae ex Instituto possumus, ea semper curemus.

Qui studia sua iam absolverint. Et versantur in tertio illo anno probationis, vel alioqui in collegio exercentur ad ministeria professorum, quod possunt facere in collegiis, ut constat ex octavo capite huius partis.

Vel ad ipsum mittuntur. Ex novitiatu quidem mitti possunt, vel ex illorum etiam numero, qui cum novitii non sint, nec scholastici, tamen nondum promoventur ad ordinem vel professorum, vel coadiutorum, de quibus dicetur in quinta parte Constitutionum. Possunt etiam ad collegia mitti professi, vel coadiutores formati, ut in exercitiis spiritualibus confessionum et praedicationum occupentur, ad scholasticos, qui id praestare deberent, sublevandos, ut habetur secunda declaratione secundi capitis sextae partis. Ex hac vero, et superiori annotatione intelligitur locus ille huius § Constitutionum, non defuturos in collegiis, qui exercitia spiritualia obeant, et tamen, ut statuitur quarta § secundi capitis sextae partis Constitutionum, ne coadiutores quidem praeter Rectorem ali poterunt in collegiis, nisi quoad utiles erunt pro rebus necessariis, vel admodum convenientibus ipsis collegiis.

Qui primaria intentione. Sed primaria, atque adeo unica sit eorum intentio, ut domesticis ministeriis vacent, non studiis. Est enim locus positive intelligendus, non per comparationem, quasi secundaria intelligatur relinqui intentio ad studia.

Verum si aliqui. Quales fere erunt nostri scholastici, Christo Iesu propitio. Quod si in aliquo videretur periculum timeri posse, ille ad studia transmitti posset; ita tamen provide, ut nullus possit persentiscere, eam esse causam, quapropter illis studiis non applicetur.

Dispensare Superior poterit. Res tamen eo iam rediit, ut non tam videatur illa esse dispensatio, quam consuetudo. Nam nulli negatur studium linguarum ante Theologiae eruditionem, et tamen utile est nomen

dispensationis retineri, et censeri praeter ordinem id fieri.

Dispensare poterit. Ne tamen id faciat, nisi vehemens intercedat causa dispensandi. Verendum enim est, ne sensim per huiusmodi dispensationes fiat, ut redigantur studia multorum intra privatos parietes, et parum pro Instituto et Ecclesiae et nostro tractentur. Siquidem eo spectant scholae publicae, publicae auditiones, studia, exercitia, publica fides graduum, qui in scholis suscipiuntur, ut publice constet eos esse probatos, qui in ministerium verbi publice mittendi sunt.

Qui iam studiis perfuncti sunt. Non poterunt tantum, sed debebunt, si opus sit et id praestare possint, nec gravioribus rebus occupentur, in praelegendo exerceri, et sublevare Societatis difficultates, quae sentiuntur in sustentandis scholis collegiorum. Ex his autem non solum accipi poterunt lectores superiorum classium, sed inferiorum etiam, ex iis praesertim, qui studia Philosophiae absolverint.

Scribere tamen. Poterunt tamen errata typi emendari: modo eleganti id fiat nota, de consilio tamen praeceptoris in re ambigua.

Quod ad repetitiones. Hac in re simul ad usum et regulas particulares spectandum est, quae iam extant, donec edatur tractatus de his rebus, qui dicitur edendus, et a Generali Praeposito probandus decimotertio capite Constitutionum huius partis.

Curabit etiam. Per se, vel per studiorum Praefectum.

Libros papyraceos. Non fuit hactenus indictus usus horum librorum, nec videtur indicendus facile, ne as-

suescant pueri fidem habere suis erroribus, non exemplari vero auctorum.

Provectiores in humanioribus literis. Idem usurpare deberent auditores Philosophiae et Theologiae, et non ita lectionem excipere, ac si dictaret Praeceptor, non doceret.

Prudentiae Rectoris. Ipsius videlicet iudicio, auditis consultoribus, si ipse peritus est in his, de quibus agitur; si non est, ut continget in gravioribus studiis, esset illi extra ordinem praescribendum, ut nihil definiat, nisi ex suffragiis consultorum. Ceterum causam urgere oportet magnam, si in his, quae Constitutionibus et regulis de huiusmodi exercitiis literariis traduntur, dispensetur, magnaque est semper cautio habenda, ne nostra studia in laxitatem abeant.

Qui sancta aemulatione. Siquidem sancta haec sit aemulatio futura, non incommode haec licentia accideret. Verum, ut est ad humanam gloriam facile proclivis humani cordis infirmitas, circumspecte hoc genere aemulationis erit utendum, ne ubi excolitur ingenium, mens e superbia vel invidia tentetur, ac periclitetur. Et haec quidem de nostris scholasticis dicta sint; externis erit facilius hanc aemulationem excitare, ut fieri solet in praemiorum propositione, ad quae nullus nostrorum hactenus contendit.

Si Rectori videretur. Non est in dubitationem adducendum, quin unum commentarium sit auditoribus concedendum, praesertim ubi audiunt Aristotelem; sed hoc propterea dicitur, quod absque voluntate Rectoris haberi commentaria non possint. Qui tamen ad haec dispensanda consilio utetur Praefecti studiorum, et suorum professorum.

Si ad utrumque inutilis esset. Si haec inutilitas magna esset, et notabilis ineptitudo ad omnia externa officia, itaque reduci ad aliquam illarum causarum quatuor posset, quae secundo capite secundae partis Constitutionum praescribuntur; dubium non esset, illum posse dimitti. Verum, ubi hoc non possit facile, et res sit dubia; si inutilitas accidat propter adversam valetudinem in Societate contractam; quid de huiusmodi agendum sit, dictum est in secunda et tertia parte Declarationum. Rursus, si dubium esset iudicium, et ante biennium deprehenderetur inutilitas, posset dimitti. Sin post biennium, cum iam ad vota esset admissus, fieri facile non posset, ut illa sit naturalis impotentia, quae antea deprehensa non sit, et quae ab eius voluntate non proveniat, nec corporis valetudine: propterea difficile erit, an huiusmodi sit e Societate eiiciendus, iudicare. Non igitur id fiet, nisi ex Generalis Praepositi facultate vel generali, vel speciali.

Conveniret. Debitam intellige convenientiam, atque adeo obligationem.

Huiusmodi libelli. Est animadvertendum diligenter, ne haec propriae intelligentiae commentaria faciant, ut librorum lectio ac studium negligatur, aut praetermittatur, ac sui capitis fiant nostri, et non proficiant in disciplinis, nec inventionem ac iudicium studiis maius adhibeant, sed mordicus suis scriptis adhaerescant et unice; quae omnia fugienda sunt. Scripta igitur haec sic deservire debent, quasi illis non detur ultima fides vel studium, sed libris ac auctoribus.

IN DECLAR. VII. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Praepositi Generalis. Solius, vel ex commissione per alium, sive collegia recipiantur, in quibus sit praelegendum, sive in alia ratione collegiorum videantur scholae aperiendae praeter rationem instituti sui; qua in re magna utendum erit circumspectione, et cautione.

Ubi huiusmodi scholae. Adde *commode,* ut est hispanice; quod omisit interpres uterque.

Et etiam. Ut aperiantur scholae in gravioribus disciplinis, non solum est ratio horum habenda locorum, ut est in constitutione, sed facultatis Societatis. Nam est hispanice *segun la disposicion*, idest iuxta dispositionem, vel facultatem.

V. *Ut in collegiis fere.* In collegiis non solum ex institutione puerorum in doctrina christiana magnus proventus speratur, sed simul ex ministeriis Societatis primariis, quae serio exercentur in his scholis, et admodum fructuose. In nullo igitur collegio omitti illa debent; simul in illud danda opera est accurate, ut moribus christianis excolantur auditores, quaesitis occasionibus ex lectionibus ipsis et exercitiis scholasticis. Ac ne casus quidem conscientiae praetermitti deberent, praesertim ubi aliquis numerus esset vel nostrorum, vel externorum auditorum, et collegii facultates ferre illud onus possent. Quamvis autem horum collegiorum occupatio laboriosa, et nostris minus utilis

esse videatur ad studia promovenda, tamen magno fructu magnae occupationes et labores compensantur.

Praelegeretur. Ex hoc loco formulam colligere possumus, ad quam collegia huiusmodi sint erigenda et conservanda. Quod si forte nos negligamus, quod nunquam fiet, Christo propitio; sit nobis persuasum, id non esse neglecturos, qui dotarint collegia, sed provisuros accurate, ut iuxta huius declarationis statutum conserventur collegia, etiam si nulla sit cum illis contracta obligatio; quemadmodum a principibus curatur, ut monasteria reformentur, quae a pristino ac regulari instituto desciverint.

Si vero sit qui commode. Est hispanice *y si hay commodidad de quien predique y confiese, que se haga;* ad verbum: et si est commoditas, ut aliquis concionetur et confessiones audiat, ut id fiat, idest si commode fieri possit, ut aliquis concionetur; quae commoditas non solum refertur ad facultatem Societatis, sed ad aliarum circumstantiarum facultatem. Haec quum ita sint, faciet tamen horum ministeriorum utilitas, atque adeo necessitas, ut omnino incommoditates omnes abigantur, et non desit qui concionari possit, et confessiones audire. Nam quum sint collocandi in collegiis, qui et nostrorum confessiones et auditorum nostrorum audiant, item qui hos doceant doctrinam christianam, et his concionentur; erit facile simul alios docere, aliis concionari, aliorum etiam confessiones audire, sed ita tamen, ut prius satisfiat collegio, et propriis eius exercitiis, reliquum tempus designetur aliis; tametsi non est alienum ab horum collegiorum instituto, ut aliqui alantur, qui proprie ad confessiones aliorum destinentur, quemadmodum est in superioribus annotatum.

Et de scientiis superioribus. Plura erunt collegia,

in quibus superiores disciplinae non tradentur; sed tamen non oberit, sed proderit etiam, ubi opulentia collegiorum, et auditorum frequentia ad hoc invitent, si professio artium liberalium, nonnunquam etiam Theologia in eis instituatur, qualis est ratio collegii Romani. Verum haec studiorum plenitudo magis est Academiarum generalium Societatis, et pleniorum collegiorum.

Ad Universitates. Vel ad collegia pleniora, in quibus superiores illae scientiae praelegantur, vel ad alia collegia nostra, ex quibus in universali Academia audire possint.

Vel alia convenienti. Vide quid hac in re statuit generalis prima Congregatio.

Quamvis inter illas. Non enim pugnat haec obligatio cum Instituto; si quidem aliqua in fundatione collegiorum suscipiatur obligatio. Sed illa pugnaret, si non esset Theologiae praelectio, qualis in scholis haberi solet, sed eiusmodi quae ad populum. Haec enim ad proprium ministerium attinet professae Societatis, non illa quae proprie pertinet ad collegia vel Academias, atque ad earum scholas; et tamen tantummodo colligimus suscipi posse obligationem, quam sibi imponat Societas, ut superius annotavimus.

IN DECLAR. VIII. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Et aliquid ex Sacra Scriptura. Peculiari scilicet studio; alioqui non deberet ad concionandum accedere, qui universam Sacram Scripturam non legisset vel semel.

Et haec in compendium. Compendio tamen, quod in superioribus attigimus, ita erit utendum, ita fidendum, ut iustum detur libris studium, ubi erit commodum, et iudicium praeterea non omittatur adhiberi, si quid illa compendia fieri possint auctiora, vel etiam exactiora; neque sit cuivis liberum illa sibi compendia concinnare, sed iis tantum concedatur, qui ingenio, doctrina et iudicio valebunt. Ita aliis curabuntur esse parata, quibus utantur.

Illi tradunt, qui. Non tantum sunt perlegendae eorum conciones, qui feliciter oratorem christianum egerunt, vel de ecclesiastico et christiano oratore erudite tradiderunt, sed ethnicorum etiam ars oratoria et orationes pertractandae. Quod si quis oratoriam artem componeret, qua proprie instituerentur concionatores christiani, et non alias solum partes rhetorices accommodaret ad pietatem, sed eam imprimis, quae in commovendis affectibus versatur, qui affectus ex spiritualibus sensibus sacrarum literarum ducerentur, experientia spiritus et gustu interno confirmarentur, meditatione ac contemplatione rerum coelestium illustrarentur: certe is praeclaram operam, et magnopere utilem Societati et christianae Reipublicae navaret.

Censurarum, quae reservantur. Non est tamen negligenda aliarum censurarum intelligentia, ut iudicium adhiberi possit, et remedium opportune. Erit praeterea curandum in selectioribus locis, in quibus variant Doctorum sententiae, ut deligatur via securior. Ea erit, quae fuerit communis Doctorum sententia. Nam sicut est necessum omnium Doctorum, ubi in eandem sententiam conveniunt, iudicio adhaerere; ita, sicubi communis est opinio, ibi securius erit consi-

stere. Non enim caret aperto discrimine novis opinionibus facile moveri. Si qua igitur est nova opinio, vel privata in re theologica, etiam si vera ea videatur, plurimum etiam habeat probabilitatis, multis abundet argumentis; erit commodissimum praestolari, donec per alios fiat communis. Nos vero, antequam eam obtineat auctoritatem, vel contradicamus novitati, si quidem videatur esse haereseos suspecta, vel omnino erroris, aut curiositatis, vel certe illius patrocinium non suscipiamus.

Formulas. Compendium omnium haberi vix poterit. Sunt enim variae formulae pro voluntate Pontificum ex re nata. Itaque cum indulgentiae ac facultates Ecclesiae multae extra ordinem concedantur, in his, si quae dentur formulae certae absolutionum, commutationum, vel dispensationum, illae observentur; alias consuetis utamur.

Sine damno suo. Consulte hoc dicitur ad scrupulos eximendos, et tarditatem confessariorum, si qua fortassis incideret, repellendam. Sat igitur erit, si absque detrimento nostro eam operam in proximum conferamus; et tamen fieri vix poterit, ubi sine damno nostri exercent ministerium confessionum, quin simul referant ipsi utilitatem non contemnendam. Attamen animadverti ac provideri debet accuratissime, ut idonei sint Patres ac probati, qui confessionibus audiendis destinantur, ne et sibi obsint, et confitentibus non prosint, et offendiculum praeterea iniiciant publice. Igitur Provinciales Praepositi confessarios ex his deligent, quorum spiritus moresque religiosi, intelligentia idonea, gravitas, dexteritas, et alia praeterea, quae in illo ministerio rite gerendo desiderantur, erunt ipsis

explorata, atque probata; et eligent potius deesse confessarios, quam patientur idoneos non esse. Confessarii vero legitime designati magnam concipiant fiduciam in Christo, neque anxie vel scrupulose de sua indignitate vacillent, sed bona fide cum praestent suam operam ex facultate a Superioribus probata, sciant recte atque ordine suum esse officium functuros, Christo iuvante: et illud praeterea ne ignorent, quod iudicium indignitatis suae vel ineptitudinis post voluntatem Superioris intellectam arbitrantur ex humilitate proficisci, illud potius videri posse ex contrario vitio esse derivatum. Postremo, si qui in hac re sint imbecilliores, id potius cogitent, quemadmodum scrupulos abigant, et tranquillo animo suum impleant ministerium; quod et aliis adiuti praesidiis facient, tum illud proderit in primis, si sciant commode ubi dubitari debet, et velint iudicium adhibere, ut consulte dubitent. Si praeterea velint, de quibus dubitaverint, consulere peritiores. Haec vero illis non deerunt, si sciant quae communia sunt, et quae nullus ex sacerdotibus ex gradu suo non debeat habere perspecta; si item simplicitatem animi, atque humilitatem cum simplici illa cognitione coniungant, oratione vero semper se muniant, et animarum zelo ex vivida charitate profecto. Confidant vero obedientiae Superioris in Christo.

Possent ad exercitia. Si tamen prius in illis fuerint diligenter exercitati.

Tantum tradantur. Erunt tamen observandae tres ultimae annotationes ex iis, quae libro exercitiorum praefiguntur.

In compendium. Faciet quidem compendium expeditiores nostros ad docendum: expositio illius compendii, et ea quidem probatissima, doctiores.

IN DECLAR. IX. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Dispensari. A Provinciali, consulto tamen Generali Praeposito, vel alioqui ex facultate commissaria. Non enim huiusmodi in collegia absque facultate Generalis ad septem annos recipiuntur, ut superius tertio capite dictum est. Quare neque absque illius facultate post septem annos retinebuntur.

IN DECLAR. X. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Vel aliter. Aperte illud insinuatur, quod alioqui necessarium esse videbatur, posse, atque adeo debere, non ad tempus solum aliquod, sed diuturno atque indefinito tempore professos praefici collegiis gravioribus et Academiis; quod apertius tertia declaratione secundi capitis sextae partis exponitur. Non enim si ad alia omnia idonei esse poterunt coadiutores spirituales, studia etiam graviora poterunt pro dignitate gubernare. Quod si quis speret, praefici his collegiis posse viros quidem theologos, sed qui adhuc in probationibus versantur, videat quod id sit ex honestate collegii vel utilitate futurum, homini novitio tam in-

signem curam committere. Et usus quidem P. Ignatii hic fuit: praeposuit Collegio Romano, non ad tempus solum, P. Olavium professum; post hunc, P. M. Laynez praefecit alium professum: et compertum quidem experientia est, huiusmodi collegia nisi a professis gubernari sat commode non posse. Neque huic necessitati provideri potest, si professus nomine quidem designetur Superintendens collegii, re tamen ipsa Rector gubernet omnia. Nam praeterquam quod fere his Superioribus ita attemperatis invicem recte non conveniet, erit mira obedientiae perturbatio, atque incertitudo, quod multis hactenus atque adeo omnibus exemplis comperimus. Breviter adumbrata quaedam, et efficta videri poterit haec oeconomiae ratio. Utiliter igitur abrogavit postea usum huiusmodi Superintendentium secunda generalis Congregatio.

Vel ad universale bonum. Difficile quidem videbitur propter bonum universale, non etiam particulare collegii, ali posse professum hominem in collegio, praesertim si non ad tempus solum, sed aliter etiam, ut dicitur. Dispensationem ergo hanc dicamus et eam quidem difficillimam, quo minus erit usurpanda, atque adeo semper reiicienda, nisi ubi summa utilitas cum summa necessitate esset coniuncta: qua de re solus Generalis Praepositus iudicare possit, solus dispensare. Nam quod dicitur in declaratione secundi capitis sextae partis posse Generalem concedere, ut aliquis professus sustentetur in collegio ad librum aliquem scribendum, id ad tempus tantum conceditur: alioqui tam videtur difficilis illa, quam quae hoc loco dispensatio significatur, et illam oportuit a Summo Pontifice dari facultatem, ut dispensare possit Generalis Praepositus,

vel alii ex eius commissione, ut senio confecti professi, vel infirmitate gravati ali in collegiis possint.

A suis maioribus. Universa facultas dispensandi sita est in Praeposito Generali, quemadmodum traditur tertio capite nonae partis Constitutionum et Declarationum. Neque ex officio alius dispensare potest, nisi cui ex commissione Generalis datum sit. Nulli vero datur haec facultas, ut est in illius capitis declaratione, nisi causae urgeant, nec expectari possit a Generali dispensatio absque detrimento, vel si quando illi daretur commissio, cui perinde ac sibi ipsi confideret Generalis. Quae etiamsi videantur dicta de universa ratione et usu dispensationis, tamen proportione accommodanda sunt ad particulares facultates dispensandi. Quocirca consultissime sunt huiusmodi facultates concedendae, et Provincialibus quidem circumscribendae, Rectori magis etiam restringendae. Hinc intelligimus, quid sit, Rectorem non posse absque facultate maiorum dispensare. Non enim potest sine Generalis, vel Provincialis, nec hic absque Generalis facultate. Usu tamen venient permulta levia quidem, et passim obvia, in quibus erit necessum posse Rectorem dispensare ordinaria commissione; verum, ut constet Societati recta ratio gubernationis, debet Rector de frequentia in genere suarum dispensationum quarto quoque mense scribere ad suum Provincialem, et hic de suarum, et Rectoris ad Generalem. Non enim ea esset gubernatio probanda, quae vel temere, vel etiam frequenter dispensationibus uteretur; solent enim iuris vulnera esse dispensationes.

Ianua, vel area. Sub his, quae communia sunt, alia omnia intelliguntur, quae claudi possint.

V. *Aptitudinis personarum.* Non solum ad exteriora ministeria idoneas esse personas oportet, sed simul, et quidem non negligenter, eo spectandum est, ne ex ratione ministerii externi laedatur animus coadiutorum, sed proficiant potius in spiritu ac devotione, et aliis tum domesticis tum externis bonum exemplum praebeant.

Singulis hebdomadis. Saltem donec exacte illas habeant perspectas; postea sat erit, si singulis mensibus id faciant, quod dicitur in regulis communibus, modo exacta cognitio conservetur: observabit vero Rector, et praescribere poterit, aliquando frequentius legi, ut resarciri memoriae imbecillitas possit opportune.

V. *Curam habebunt eorum.* Uterque scilicet, ut Rectori sit a consiliis, et simili utatur ministerio, atque erga Generalem Assistentes; tum praefectus curam suscipiat novitiorum.

Alia officia minus operosa. Nam, si eiusmodi sint, quae occupent scholasticos alio tempore, quam quietis utriusque vel exercitii corporalis, urgere non mediocriter deberet praesens necessitas, ut in illis officiis inservirent scholastici. Quicquid enim his ministeriis temporis impertirent, illud a necessariis studiis esset detractum. Sunt tamen aliqua officia, quae poterunt gerere scholastici sine studiorum dispendio, quo in genere sunt praefecti studiorum, magistri tonorum, correctores accentuum, censores concionum, syndici, et si qua sunt huiusmodi alia.

Constitutiones quae. Hunc locum exposuit secunda Congregatio dec. 85.

IN DECLAR. XI. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Vel alias obligationes. Erunt scilicet hae extra ordinem; nam ratio Instituti postulat, ut solae lectorum obligationes accipi possint. Significatur igitur hoc loco dispensatio communis Instituti. Quare erit in rebus duntaxat gravissimis, et quae necessario urgeant, admittenda; alias nunquam. Nunquam enim hae dispensationes non infligent vulnus, et grave, et periculosum Societati. Intelliguntur vero hae obligationes esse praeter puram rationem Universitatum, quemadmodum praeter collegiorum institutum concedebantur secundo et tertio capite Constitutionum huius partis. Nam si de parvis, et non commensuratis intelligas hunc locum, non erit minor difficultas, quam secundo capite declarationum huius partis fuit. Vide quae illic sunt annotata.

Si admittantur. Hoc potest ad extraordinarias obligationes, vel ad ordinarias referri. Ad has si referatur, erit ita agendum cum fundatore, ut nullam obligationem subeamus, quae ad dotationem referatur, quo sincere observemus paupertatis nostrae integritatem; sed, fundato collegio et dotato, Societas ipsa obliget collegium ad suas lectiones, iuxta quod viderit ex dotatione sustineri posse; sin ad extraordinarias obligationes locus spectet, eo magis ea cautio erit adhibenda, et simul erit accurate prospiciendum, ne

noceat Instituto vel re, vel exemplo, vel alio quovis pacto admissio extraordinariae obligationis. Sed de his superius dictum est.

Huiusmodi facultatis scriptum. Non erit hoc scriptum, quo iurisdictionem obtineat Societas, nec per quod a nobis iudices ordinarii pendeant; sed quo auctoritas Societatis iudicibus a Principe commendetur, et valeat, quemadmodum absque ulla commendatione deberet valere plurimum. Illud tamen non est negligendum, quod in annotatione Constitutionis huius loci diximus de gubernatore; et utilius esset fortassis, si facultatem acciperet a Summo Pontifice Societas in erectione Universitatis, ut iudicem etiam ecclesiasticum nominaret, et deponeret ubi vellet; qui Apostolica potestate iurisdictionem in auditores nostros exerceret, nec tamen a nobis in dicendi iure penderet, nec ab Episcopo, vel a Principe saeculari. Quod si hoc consequi non possimus, illud tamen, quod de gubernatore Episcopi diximus, teneamus. Est autem animadvertendum, posse Societatem e suis scholis quem volet reiicere, quod est ius cuiusvis patris familias. Poterit item castigationes scholasticas exercere per correctorem, etiam verbera. Neque enim haec sunt officia iudicis criminalis, vel civilis, quae nobis interdicuntur. Ceterum in totam Universitatem, idest non tantum in Doctores, magistros, professores, et scholasticos, in officiales alios, et administros, sed etiam in iudicem a Societate designatum, Apostolica auctoritate exercebit iurisdictionem directivam Societas; diriget enim aliorum quidem studia et mores ad sapientiam et pietatem; officialium vero et gubernatoris mores duntaxat, et eos praesertim, qui ad ipsorum attinent

officia. Itaque praescribet, ut suo officio et iurisdictione fungatur gubernator, ubi castigandus videbitur ex Universitate aliquis, vel etiam a calumnia vel iniuria liberandus. Quod si non faciat, erit facultas in Societate alium praesentare, illo abrogato, qui recte suis officiis fungatur. Iam vero si nullo modo possit haec ratio gubernandi externos scholasticos ab Episcopo impetrari, vel a Summo Pontifice, et non conveniret contra voluntatem Episcopi exigi, vel non posset; saltem plenam nostram libertatem retineamus nostros Religiosos gubernandi, non in domesticis solum actionibus et officiis, sed etiam in publicis et Universitatis; tum etiam Universitatem, et scholasticos externos in Universitate, quae est scholastica nostra iurisdictio: reliquam omnem relinquamus Episcopo. Nam illud, ut dixi, curandum omnino est, ut eximantur externi scholastici a saeculari iurisdictione.

Et privilegiis. Inter quae esse poterit, iudicem ut habeant suum scholastici, saltem in prima instantia.

IN DECLAR. XII. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Poesim, et historiam. His adde quae ad copiam et elegantiam, tum ad epistolarum scribendarum institutionem attinent, et solent a nostris in ea classe tractari, quam appellamus humanitatis.

Arabica. Propter eos, qui Mesopotamiam incolunt, et regiones alias orientales, vel etiam dictionem Pre-

tiosi Ioannis, esset utilis chaldaica, et ad librum Danielis Prophetae, et Esdrae, in quibus aliqua sunt chaldaica; tum ad cognitionem versionis chaldaicae veteris Testamenti, vel totius, vel partis, quae appellatur Thargum.

Quatenus tum ad finem. Nullo enim pacto attingentur, quae ad partem iudiciariam pertinent, quod tam est manifestum, ut dictum non oportuerit; ac ne curiosius quidem in speculativa est agendum, sed in his rebus constitutus sit modus in scholis nostris.

Si is personarum numerus. Duo hic significantur; non esse quidem praeter Institutum hanc aperire scholam, sed fecisse penuriam hominum nostrorum, ne illius usus ordinarius esset. Nihil ergo erit, quapropter non aperiatur, ubi commode id poterit; nisi quis velit ita interpretari, quod significet Societas fere nunquam existimandum tantum fore numerum nostrorum, ut vulgo illius scholae suscipi debeat cura: quae tamen interpretatio videtur violenta, et alioqui usus iam est in nonnullis collegiis introductus, ut in huiusmodi scholis doceant nostri.

IN DECLAR. XIII. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Quas a Magistris. Non quod omnium compositiones emendari oporteat sigillatim: hoc enim fieri non posse experientia didicimus. Emendari igitur oportet singulorum compositiones, sed per vices. Sat erit in

classibus inferioribus, singulis diebus aliquot emendari, unde poterunt alii utcumque suas emendare compositiones. In superioribus autem, ubi ad aliorum exemplar suas alii non possunt emendare, facient praeceptores quod poterunt commode, et si non omnium simul, saltem per partes omnium emendent compositiones.

In quodam tractatu. Non est adhuc hic tractatus editus, sed brevi, Christo duce, edetur; interea instructione familiari, et aliis regulis gubernantur studia.

Illa. De quibus in illo tractatu agetur.

In horum duorum classibus. Non est intelligendum, harum duarum classium auditoribus esse addiscendam linguam hebraicam, vel chaldaicam; quamvis addiscere possint graecam iuxta praecepta rhetorum, et usum in Societate receptum; sed tantum significatur, ubi enarrantur litterae humaniores vel rhetorica, ibi posse litteras graecas, vel hebraeas, vel alias doceri.

Ita ut duae. Id ne fiat, nisi consulto Generali Praeposito. Nam grave nimium esset, si facile possent hae classes multiplicari; facile etiam possent fundatores illud exigere. Poterit quidem id concedere Generalis, quod tamen non faciet, nisi magna cum permoveat vel causa, vel necessitas. Ceterum non intelliguntur duae quartae vel quintae classes, in quibus idem omnino legatur, sed ut duae illae accommodentur multitudini, quae in una commode doceri non potest: inferior igitur una semper erit, alia superior. Et tamen quod de quinta traditur, fere non eveniet, ut multi sint rhetores; potius ut in tertia grammatices, si abundet numerus, vel in secunda, cui non possit unus praeceptor satisfacere.

Externi esse possint. Potiusquam deseramus collegii necessarias obligationes, omnia tentanda per Provincialem, vel Generalem; ex aliis Provinciis dabit Christus, ut nunquam desint nostri.

An praeter Praeceptores ordinarios. Hi erunt quinque in litteris latinis pro numero scilicet quinque classium. Erit praeterea alius graecarum litterarum professor, nisi qui primae et secundae classi praerunt, eo officio fungantur, quod videretur esse utilius, si suis classicis auditoribus sui praeceptores graeca enarrarent. Sed et alius erit ordinarius hebraicae linguae professor; praeter hos erunt tres praeceptores Philosophiae, unus Mathematices; scholasticam Theologiam necessum erit ut duo profiteantur. Pro sacris literis, et selectis locis, qui ex Theologia, quam appellamus positivam, desumentur, erit sane unus praeterea constituendus.

More publicorum professorum. Qui in Academiis Italiae solent magno studiorum apparatu rhetoricen, et Aristotelen enarrare, et ius utrumque. Esset quidem haec praelectio publice utilis, sed animadvertendum est, et accurate quidem, ne Ratio studiorum Parisiensis, quam nostris scholis fecimus familiarem, propterea remittatur, quae constanter est retinenda.

Vel quamvis aliam. Ut si controversiae adversus haereticos praesentis aetatis explicarentur, vel ageretur de locis communibus Theologiae.

V. *Prudentia Praepositi.* Scilicet Generalis, vel omnino Provincialis ex commissione legitima.

Prout expedire. Hoc referas ad longioris temporis repetitiones, non hebdomadae. Nam illarum datur iudicium an expediat; harum non datur, ut quae necessariae semper sunt iudicatae.

Posset aliquis. Rationem studiorum nostris praescribere possumus ex auctoritate; aliis possumus quidem, sed quae vim potius habeat consilii, et persuasionis. Non enim solo hoc nomine a nostris scholis reiici quis potest, quod libertatem velit in studiis suam retinere, nec velit nostra audire consilia. Tametsi horum cura sit futura remissior in exercitationibus, semper tamen erit curandum, ut ad officium revocentur.

Qui curam animarum gerunt. Vel sunt gesturi; et tamen hi maiorem facultatem comparare debent, quam casuum conscientiae. De externis vero haec dicuntur. Sunt alii praeterea multi, qui ad hoc genus reduci possunt.

Superioris. Superintendentis, vel Rectoris, sed in rebus gravioribus consulendus erit Provincialis, praesertim si quid in genere statuendum sit; ibi enim Generalis etiam esset consulendus iuxta rei qualitatem.

A prandio. Modo nullus intercedat festus dies in hebdomade. Collegii tamen Romani est consuetudo, ut integrum diem quavis hebdomade intermittantur praelectiones scholarum omnium, praeterquam trium infimarum, in quibus tamen a prandio vacatur, et id quidem propter aeris insalubritatem. Fit Romae etiam, si unum festum sit ea hebdomade, non si duo; cuius intermissionis facilis erit in Universitatibus imitatio, modo ex simili causa id fiat; vel quae est consuetudo Universitatum, ea usurpari poterit, modo teneatur, quod praescribit declaratio.

Cum Provinciali. Et hic quidem non inducet novas studiorum vacationes absque Generalis Praepositi auctoritate; et nulla quidem communis est, et certa ratio

vacationum, nisi quod ad Christi natalitia, ad carnis privium, ad pascha, in canicularibus cessare lectiones solent, vel intermitti ubique. Est igitur operae pretium, ut singuli Provinciales suas vacationes Generali Praeposito exponant examinandas.

IN DECLAR. XIV. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

A pectore veneno pleno. Quale eius est fortassis, de quo suspicio habetur.

Praelegetur etiam magister sententiarum. Non fuit hactenus hic usus in Societate receptus; saltem ubi Thomae Summa praelegitur, simul exponatur magister compendio.

Quae his nostris temporibus. Vel omnino quibuscunque temporibus, quibusvis etiam Ecclesiae necessitatibus emergentibus accommodatior. Occurrit autem illud exemplum ut ederetur Theologia, quae primo loco complecteretur omnes quaestiones ex Thoma, quibus tota ratio scholasticae theologiae exponeretur ex eius Summa praesertim, illis omissis, quae ad hanc methodum non sunt necessaria. Deinde aliquot quaestionibus ageretur breviter de locis omnibus Theologiae, ut de quibus scripsit Canus; adderentur praecipuae aliquot quaestiones de certis locis Scripturae difficilioribus; praeterea tractarentur scholasticae selectae controversiae contra haereticos. Quae omnia ita attemperate essent disserenda, ut quatuor annis possent in scholis praelegi.

Generalis approbatione. Et eorum, quibus Apostolica auctoritate incumbit censura librorum; quod necessum non fuit exprimere.

IN DECLAR. XV. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

An medius annus. Cavendum est, ne ex hoc loco occasio sumatur, ut praepropere atque immature pueri ad classem, quae est humaniorum litterarum, traiiciantur. Item, ne ab hac ad rhetoricae sine fructu mittantur, et eruditione. Sed potius eo est spectandum, ut ad secundam classem ne veniant pueri imbecilles in praeceptis grammaticae, et ea facultate, qua vitari possit barbarismus et soloecismus; tum a quarta ad quintam ne procedant, nisi elegantiâ et copia sint instructi; tum etiam historiam, et artem componendi epistolas et carmina audierint, atque exercuerint satis. Itaque ad eruditionis proventum spectetur potius, quam ad tempus. Si tamen ad multitudinem non spectemus, sed ad singularia ingenia, usui esse poterit, quod tradit Declaratio; tametsi satis plane non videatur fore, si sex menses audiat quis in classe humaniorum literarum, quae est amplissima.

Tres annos. Siquidem tribus annis ea omnia audierit, quae solent in Universitatibus pro discursu artium, et philosophiae enarrari, poterit is quidem ad examen et publicas disputationes admitti, et ad gradum item legitimo tempore, modo specimen dederit suae eruditionis, quale in promovendis requiritur.

De quatuor Theologiae annis. Quibus scilicet in publicis scholis Theologiam audierit, et publica fide hoc constet; quae etiam consuetudo est generalium Academiarum; si praeterea actus suos obierit, et probaverit suam eruditionem.

Vel quod desint. Vix hoc fiet unquam, Christo propitio. Nam primum quidem non assumentur Universitates, nisi quando sciatur frequentes auditores esse venturos; deinde non erit Universitatis cura accipienda, nisi in qua tantus numerus nostrorum scholasticorum ali possit, qui satis esse queat, ut superiores classes sint mediocriter frequentes, et fiet alioqui ex ratione fundationis, ut nobis liberum non sit habere pauciores praelectores: quocirca summa est ope nitendum, ne epiikia hac utendum sit.

Vel certe Provincialis. Non tamen sine particulari commissione Praepositi Generalis.

Si talis esset rerum status. In collegiis quidem contingere poterit, ut, biennio absolutis praelectionibus theologicis, tertio anno rursum inchoentur, utpote si enarretur Summa aliqua casuum conscientiae, et aliquid ex sacris litteris, quae audivisse sat sit futurum coadiutoribus spiritualibus. Verum in Universitatibus hoc observari non poterit. Quare priorem huius loci partem ad collegia, secundam ad Universitates referri oportet; ut in collegiis biennio studia theologorum absolvi possint, in Universitatibus quadriennio. Ad quod tempus aliquid addi possit vel a Generali Praeposito, vel ex eius commissione a Provinciali.

Si iustas ob causas. Animadvertendum, ne sumatur hinc ansa ad laxitatem. Nam nisi pro dignitate quis possit in examine respondere, promoveri ad gradum

non debet; si vero possit, cur non publice examinabitur, publicum gradum accepturus, et exercitaturus? Haec igitur dispensatio non erit usurpanda, nisi quis videretur non esse idoneus ad gradum, ac ne ad examen quidem. Hic enim posset clanculum examinari, ut honestius illi negari posset gradus.

IN DECLAR. XVI. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Nec si. Etiam si propterea a scholis non reiiciantur, erit tamen publice significandum illorum esse peculiarem curam suscipiendam, ut in moribus et litteris promoveant, qui leges ac consuetudines observabunt nostrarum scholarum. Hi enim Societatem sua obedientia demerentur, ut in eorum profectum incumbat accuratius.

Vel non est dicenda. Potius certe esset oratio omittenda, si ad aedificationem non faceret et devotionem. Verum consuetudo nostrarum scholarum faciet, ut nihil alienum, vel grave esse videatur ita orare omnes non in principio solum, sed in fine etiam praelectionum. Ita enim si oretur a praeceptore et a nostris, haud dubie commonebuntur externi; et necessum quidem est in nostris scholis elucere exemplum christianae pietatis, et amplius, quam saeculares lectores, praestare oportet. Non est igitur ex hoc loco captanda occasio dimittendae orationis, sed diligentius insistendi, ne id eveniat, unde sit omittenda.

Quid praeterea. Si quid ad conciliandam pacem attinebit, id Rector procurabit; si quid erit poenae infligendum, id dabit operam ut a iudice minuatur; omnia vero ad publicam aedificationem.

IN DECLAR. XVII. CAP. IV. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Nec lectores primarios. Primarios lectores, vel qui primaria gerunt munia, non mutabit Rector. Dicuntur autem lectores primarii rhetorices, humaniorum litterarum, artium, et Theologiae professores. Prima vero officia, omnia, quae hoc capite statuuntur. Nam nec bidellos poterit iure ordinario Rector mutare; tametsi commode fiet, si nullus sciat hac facultate illum carere; et quando consulendus erit Provincialis, consulatur quidem secreto, ut facilius omnes in officio contineantur. Ceterum, quamvis Rectori permittatur inferiores praelectores mutare, magno consilio, singulari etiam necessitate id faciet ante renovationem studiorum annuam; nunquam etiam omittat consulere Provincialem de horum mutatione, si commode fieri possit.

Provinciali, vel Generali. Si aliquem esse praelectorem, vel ministrum Generalis voluisset, is non esset absque Generalis voluntate mutandus. In aliis constituet Generalis, quid committat Provinciali. Videtur autem committendum fere, ut omnes possit mutare Provincialis, praesertim in longinquis Provinciis, quales, praeter Italiam et Siciliam, aliae sunt omnes.

Si vicinior. Nam, si vicinior non sit Generalis, intelligitur ea esse commissio ordinaria Provincialis.

Si ille non eidem. Vel Provincialis, vel Generalis.

Cui ut res. Frequentius, ut Provinciali sint res omnes manifestae curabitur; suo tempore, ut Generali, vel quando res ita urgeat, ut absque detrimento differri non possit.

Non omnes Constitutiones. Nam aliae attinebunt ad unam facultatem, aliae ad aliam; hae ad pueros, illae ad adultos.

Hic poterit. Non enim esse poterit e Societate.

Moderatum. Et definitum ex praescripto.

Literae patentes. Has literas subscribet Rector; signabit etiam sigillo Universitatis Secretarius; Notarius sua fide; et erit quidem eadem formula pro externis, et pro nostris, nisi quod nostrorum poterit esse simplicior, ac moderatior: quod si compendium vellemus facere, et gratum scholasticis, noster Secretarius posset loco Notarii subscribere; et etiam ipse Notarius, modo externi curarent sibi scribi suas literas et nihil aliud, quam obsignaremus nos gratis.

Satis erunt. Pro nostra modestia satis, non tamen satis pro aliorum; et tamen non oberit, si obsignatio Notarii accedat ad pleniorem faciendam fidem externis.

Commodum. Satis esse videri poterit commodum, si ipsi conditionem recipiant, etiam si tenue alioqui videri possit.

Corrector esse poterit. Si quidem velit. Nam haud dubie aegre munus illud accipiet bidellus, et si accipiet, non videtur tamen e dignitate esse Universitatis, ut bidellus verberet pueros. Poterit igitur idem esse et corrector, et bidellus, si commode id fieri possit

et honeste; et facilis quidem erit ratio, ut sit corrector, si duo sint bidelli, ut est annotatum hoc capite in Constitutiones.

Quamvis decisio. De his, quae ad collegii, non etiam Universitatis attinent institutum, erit Rectori liberum, etiam omnibus consultoribus contra sentientibus, suum iudicium sequi. Verum ubi agitur de rebus Universitatis, gravioribus praesertim, non tantum si omnes contra sentiant, sed etiam si maior suffragiorum pars, quam duae tertiae, alio inclinat, securum erit magis, ut prius consulatur Provincialis, quam ex iudicio proprio rem transigat Rector; et tamen si ageretur de promovendo, vel non promovendo ad gradum aliquo externo, videntur sequenda plura consilii suffragia.

Tertio quoque anno. Hoc igitur est necessarium, ut diutius, quam triennio, non intermittatur relatio; sed tamen nihil prohibet, quin crebrius fiat, si ita videbitur res postulare. Cum autem ex declaratione secundi capitis octavae partis necessario e singulis Provinciis mittendus sit tertio quoque anno aliquis, tunc quidem haec fiet seria informatio de Universitatibus; sed ante illud tempus si semel fieret, esset res sane quam opportuna, et utilis.

IN DECLAR. I. CAP. V. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

In probationibus versantur. In hunc scilicet ordinem referuntur etiam ii, qui ante biennium nullum habent votum Societatis, sed qui sua item voluntate

vovent antè biennium, permissu tamen Societatis. Tum qui post biennium iussu Societatis voverint, nec fiunt adhuc vel scholastici approbati, vel coadiutores, vel professi, sed adhuc in probationibus exercentur. Hi igitur omnes novitii quum sint, qui vota tamen quacunque ratione emiserunt, Societati sunt coniuncti magis quam qui nullum habent votum. Quare primum ordinem dividere possumus commode, ita enim proprietas omnium partium Societatis clarius intelligetur.

Ex his enim tribus. Ex scholasticis approbatis, coadiutoribus formatis, et professis constat Societatis corpus proprie magis. Non tamen propterea vel non sunt, vel improprie sunt e Societate, qui ante biennium vovent ex consilio, vel permissu Societatis; ac multo minus hoc de illis dicendum est, qui vota post biennium ex praescripto Societatis ediderunt, sive novitii habeantur adhuc, sive ex illorum numero sint, qui post biennium, quum vota habeant scholasticorum, et novitii non sint, sed in ministeriis Societatis versentur, non sunt tamen professi, vel coadiutores formati, nec scholastici; huiusmodi enim ex usu P. Ignatii et Societatis mediam quandam rationem faciunt: neque id propterea quod non sint apti ad superiorem gradum, sed ad modestiam animi, et humilitatem alendam, et simplicitatem in nostris; tum ne lex esse videatur necessaria, eum confestim esse vel professum, vel coadiutorem creandum, qui sat sit litteris instructus. Difficile enim est unumquemque statim reiicere. Est autem Societati utile, ut multi retineantur in hoc gradu, qui absque controversia utraque ex parte sint idonei, ut omnes in officio humilitatis, obedientiae, ac religiosae simplicitatis contineantur. Hi ergo omnes

non per gratiam vocationis solum, et voluntariam obedientiam uniuntur Societati, sed per votorum item gratiam et obligationem sunt, ex Instituto, Societati coniuncti proprie. Non tamen horum censentur vota aequivalere solemnibus ex diplomate Pauli III. Nam in illo de solis scholasticis, coadiutoribus, atque professis fit mentio; etiamsi facile interpretari possimus his annumerari posse eos, qui post biennium vovent. Nam iuxta Constitutiones hi eadem emittunt vota, quae scholastici; sed de his alias, Christo duce.

In Societatem ingressus. Hic est enim Societatis finis, ut qui in eam recipiuntur, vel exercentur, fiant tandem vel professi, vel coadiutores. Qua de re erit inferius quarto capite locus, ut proprie dicamus.

Professos dumtaxat. Intellige primum quatuor votorum, dein per extensionem etiam trium. Nam simpliciter in Societate illi dicuntur professi, qui quatuor vota solemnia ediderunt, ut ex formula Instituti constat, et ex omnibus locis Constitutionum, ubi de professis statuit Societas; nisi quod, si qua post annum quinquagesimum, quo anno fuerunt concessi professi trium votorum, ad Constitutiones addita sunt, ut fuerunt a P. Ignatio multa, ibi sub professis videntur intelligi etiam trium votorum posse, ut hoc loco, qui antea non intelligebantur, quum non essent.

Et ex quibus aliqui. Erat prius in autographo P. Ignatii hoc solum, et qui, ut inferius dicetur, habent suffragium in electione Praepositi Generalis; et additum post annum quinquagesimum est: ex quibus aliqui praeterea illud activum, et passivum; quasi iam intelligerentur in quarta acceptione professi trium votorum, qui antea non intelligebantur. Itaque locus vi-

detur exponendus: ex professis aliqui, idest ii qui sunt quatuor votorum, habent etc.

Quocunque ex his. Pendet hoc ex ratione facultatis, vel gratiae Apostolicae praescripta; soli enim illi erunt capaces Apostolicae gratiae, quibus illam posse communicari intelligimus ex Apostolicarum litterarum verbis conceptis; et tamen indulgentiarum, quae conceduntur Societati, omnes esse capaces certum est.

Ceterum de primo. De admissione ad probationem dicitur quidem in prima parte; quemadmodum autem ante biennium possint novitii vota sua edere, in tertia parte dictum est. De his vero, quibus post biennium praecipit Societas, ut voveant, dicitur ultimo capite huius partis: ex his intelligendus est hic locus.

Rectoribus. His, ubi copia esse non poterit Provincialis, vel localis Praepositi, vel Visitatoris, communicari haec facultas potest; ut scilicet raro, et certa necessitate id fieri debere intelligamus.

Visitatoribus. Horum nomine intelliguntur Commissarii.

Et alicui, qui de Societate. Si haec intelligatur facultas iudicandi, quis sit idoneus ut ad vota Societatis admittatur, eam non intelligimus externis hominibus esse committendam; si vero facultas est admittendi nomine Generalis Praepositi vota, nihil aliud, non est tamen concedenda externis, nisi necessitas ita urgeat, ut omitti non possit, vel differri emissio illa votorum. Cavendum enim est, ne aliquid sibi iuris usurpare vellent de facto Episcopi in eos, quorum vota suscepissent.

Contrahi hoc spatium. Praesertim si de admissione ad professionem non agatur; et quidem sic hoc loco

intelligimus, quemadmodum in plerisque huiusmodi declarationibus; non explicari propterea dispensare Generalem posse, quod non sit certum dispensare illum simpliciter posse in Constitutionibus; sed eo spectare similes declarationes, ut intelligamus restringi potius facultatem Generalis, ne, si modus dispensandi non exprimeretur, intelligeretur laxe nimium, et pro suo arbitratu dispensare posse. Et hoc quidem loco apte satis exponitur vel usurpandam non esse a Praeposito hanc dispensandi facultatem, vel sine vehementi causa et necessaria id fieri non debere.

IN DECLAR. II. CAP. V. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Nisi per multos annos. Duos videlicet necessario; longius vero si habitaret a collegio Goensi qui esset admittendus ad professionem, plures etiam expectare oporteret; et certe alioqui non videtur admodum esse necessarium, eas commissiones adeo absolutas fieri; nam non est alienum, biennio iudicium expectari Provincialis, siquidem solet fere explorari, et consultari in Provinciis propinquis prolixe de professorum designatione.

Studii quatuor annorum. Quibus audiantur publicae lectiones.

Nihilominus. Sensus huius loci hic est; tametsi quatuor annis Theologiam audisse oportet etc., tamen qui tam esset sufficienter in iure canonico eruditus,

vel tam eximie aliis donis ornatus, ut ille Theologiae defectus suppleri posse videretur, posset hic ad tria vota solemnia admitti; ad quatuor etiam admitti posset, sive in his rebus esset, sive alio quovis nomine insignis. Intelligimus vero extra communem ordinem, si esset insignis.

Generali tantum. Non excluditur Societas, quae in Congregatione generali idem potest.

V. *Eruditionem.* Est hispanice *sufficientiam;* quod videtur interpretandum non de communi eruditione, quae in omnibus coadiutoribus spiritualibus requiritur, sed de singulari aliqua eruditione.

Requirat. Ne intelligas ex hoc loco in professis ita desiderari singularem aliquam concionandi facultatem, ut absque illa recipi ad professionem non possint. Nam, quae sat sunt ad professionem, de his dictum est. Quod vero hic obiter dicitur de facultate concionandi, eo spectat, ut intelligamus, etsi doctrina nostri professi quatuor votorum ad ministerium verbi sit referenda, non tamen professi trium; tametsi innui videatur tantam debere esse doctrinam in huiusmodi professis, quae, etiam si non parem det facultatem ad concionandum ex se, ut professis quatuor votorum, debet aliquam tamen dare.

IN DECLAR. III. CAP. V. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Decent quidem. Quamvis et decere, et necessaria haec non esse dicantur, non propterea sunt negligenda, vel facile omittenda. Res enim aliqua vehementer ur-

gere deberet, ut necessum videretur essentia rei tantum uti.

Ut sacerdos non esset. Modo esset in dignitate ecclesiastica constitutus, ut secundo capite dicitur. Verum hoc nunquam continget, nec deerunt e Societate, qui vota suscipiant.

Votum legatur. Complexum quatuor votorum dicitur votum hoc loco.

Et sic intelligi oportet. Tametsi ex Apostolicis litteris videri possit, votum non ad missiones solum referendum, sed ad cetera etiam. Nam ita in illis legimus: Ultra illud trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto astringi, ut quicquid modernus, et alii Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint, ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascunque provincias nos mittere voluerint etc. Tamen auctoritate Apostolica potest Societas illa verba diplomatis interpretari, quod eo est facilius quod sunt illa verba formulae Instituti, quam conceptis verbis digestam obtulit Sedi Apostolicae Societas. Nil igitur mirum, si sua verba ab Ecclesia confirmata explicet Societas, et quidem Summi Pontificis auctoritate, quam ex eodem diplomate accepit declarandi, quae dubia esse poterunt in nostro Instituto, in confirmata formula comprehenso.

IN DECLAR. IV. CAP. V. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ea admittit. Haec admissio hactenus alio externo signo non fit, quam quod vertitur sacerdos cum san-

ctissimo Sacramento ad voventes, et sic audit vota; accipit praeterea de manu voventium scripta vota; non vertitur autem, ubi vovent scholastici; et tamen momentum habet hic locus ut aliquid dicendum videatur ab eo, qui admittit vota, quo constet ea admitti; qua de re in secundo capite est annotatum.

Nec admittantur ut solemnia. Cum voti solemnitas ex sola Ecclesiae institutione inventa sit, quemadmodum in libro sexto de voto, et voti redemptione exponitur; certum est non esse usquam solemnia, nisi quae censet Ecclesia solemnia. Quare nullus in hoc ambigere potest, quod vota nostrorum coadiutorum simplicia sint, non solemnia, quum Ecclesia illa censeat non esse solemnia.

Ut plures, vel pauciores. Nihil quidem obest, si quae ad aedificationem faciunt, observentur; sed cautio est ne, propterea non censeantur publica esse huiusmodi vota, si curetur, ut pauciores veniant, cum plane de se publica sint, ut quae in manus Superiorum ecclesiastica auctoritate recipiuntur.

Eadem fere formula. Illo scilicet dempto, quod ad institutionem puerorum et personarum rudium attinet, quemadmodum in Constitutionibus exponitur.

Persimilis. Intellige quod attinet ad ceremonias, quae non solum similes sint, sed eaedem fere, quod constat ex Constitutionibus.

Cum tacita quadam. Haec videtur potius Societatis conditio, quam voventis; nam qui vovent, perpetuum votum, quod ad se attinet, vovent, absque conditione; sed intelligunt tamen sub conditione recipi huiusmodi vota, ut quae possit Societas irritare auctoritate Apostolica; et, qui eiusmodi vota emisissent, e Societate dimittere omni voto solutos.

Et non homini. Vota quidem haec eduntur in Societate, et iuxta Societatis Constitutiones; sed tamen propterea homini dicuntur non offerri, quod in formula homo non exprimitur, quemadmodum in aliis votis professorum, et coadiutorum; nec adesse necessum est suscipientem vota, et, ubi adest qui ministrat communionem, in eius manibus non fiunt, nec ea ille admittit: unde facilius etiam, qui haec edunt, e Societate excludi possunt, quasi si dicas huiusmodi in via esse, nec sat constare Societati, an plane unire perfecte sibi illos debeat. Interim igitur medio quodam modo illos admittit; nam ipsis praescribit, ut voveant, se tamen non profitetur illorum oblationem accipere, et nihilominus illorum religiosae institutionis curam suscipit, quasi vota suscepisset; illi obediunt ex voti obligatione.

Promissio. Ne cui mirum esse videatur, quod qui vovet perpetuam paupertatem, castitatem, atque obedientiam in Societate, is simpliciter voveat, se in Societatem ingressurum. Primum, quod ad modum loquendi pertinet, animadvertat morem fuisse ad initia Societatis, ut, qui nunc vovent quatuor haec vota, tantummodo voverent, se in Societatem ingressuros; sub quo voto intelligebat P. Ignatius tria reliqua, quemadmodum in quarto capite Declarationum quartae partis est annotatum. Visum postea est consultius P. Ignatio, si vota illa tria exprimerentur. Itaque remansit illa sola significatio quarti voti, ut intelligatur non primus ille ingressus per tria vota scholasticorum, sed per vota coadiutorum, vel professorum, quae in consummato ingressu eduntur. Quod vero ad rem attinet, necessario haec vovent scholastici, et alii omnes post

biennium. Non enim esse debet illis liberum, ut ulterius ad finem, et consummatum gradum Societatis non progrediantur; necessario enim omnes ad iuvandas animas destinantur. Quod voluit confirmari Societas voti religione, simul ut vis accipiatur ex eo voto, qua ut singulari praesidio muniatur via ad illum finem.

Licitum est. Indulgetur infirmitati, si qua extaret; non significatur dispensari posse, quum status hic consummatus sit, et fixus esse debeat; neque tamen vel hic, vel capite sexto Examinis statuitur dispensari non posse; sed praecipitur districte, ne id vel ambiant, vel curent, qui ad unum gradum sunt destinati vel constituti, atque adeo potius minui videtur posse in superiorem gradum ex meritis, ad maiorem Dei gloriam, promoveri.

Eadem erit. Ut renovare vota debeant, frequentius tamen quam scholastici approbati; bis enim praescribitur scholasticis, ut renovent; his ter. Intellige vero de iis, qui adhuc pro novitiis habentur, nam alii bis tantum renovabunt; ii scilicet, qui, quum novitii non sint nec scholastici, non sunt tamen professi, nec coadiutores: et tamen vix fuit usus ter renovandi vota hactenus.

IN DECLAR. I. CAP. VI. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Hae primae declarationes. Nil amplius hoc loco est intelligendum, quam in prooemio Declarationum est dictum: nec propterea quae adderentur legitime a Societate Declarationes, eamdem non obtinerent auctori-

tatem, quae de primis hic enuntietur. Primum enim hic dicitur absolute, non quod ad secundum referatur, vel illud significetur; aliter, si quae addentur Declarationes ita obligaturae, ut volet Societas in generali Congregatione. Sed quorsum hic rursum de Declarationum obligatione? An propterea quod praeviderit P. Ignatius in hanc, et sequentes partes Constitutionum futurum, ut adderentur Declarationes?

Nullum manifestum. Omnia igitur peccata excluduntur etiam venialia; nam nec ad haec se extendit charitas, quae non cogitat malum. Veniale vero peccatum culpa et malum est, etiamsi non excludat charitatem. Ad omnia igitur, quo se charitas extendi potest, ea Societatis obedientia complecti potest; et hoc vovent omnes, quotquot in Societate vovent, ne quis obtendere possit se non esse obligatum ad obediendum in re indifferenti. Ceterum, quod dicitur manifestum, ad praxim obedientiae spectat, ut nullus titubare possit in obedientia. Nam nisi apertum peccatum, confessarii scilicet et consultorum iudicio, praecipiatur, nullus potest obedientiam detrectare, vel cogitare rectum bonumque non esse quod praescribitur; et id praesertim cavere debet, si qua tentatio obveniret, quod veniale peccatum praeciperet Superior; nam mortalia facile se produnt, et qui est animo perturbato, ei facilius occurrunt rationes, quod quae venialia peccata sunt praecipit Superior; et tamen fere contingit, ut quae alioqui venialia peccata essent, faciat obedientia, ut peccati rationem exuant et fiant vel indifferentia, vel omnino bona. Sed hac de re vide quae sunt in primum caput tertiae partis Constitutionum annotata.

Et est imperfecta obedientia. Atque adeo nulla, ut quae sola externa constat executione, et alia non habet, quae sunt obedientiae substantialia. Phrasis vero nihil moveat; nam ea est suavitas phraseos P. Ignatii, ut est annotatum in primum caput tertiae partis Constitutionum et alibi.

IN DECLAR. II. CAP. VI. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ad redditus, vel possessionem. Intelligimus quidquid praeterea potest fructus vel redditus dare. Nihil enim horum potest professa Societas suo nomine possidere, nisi pro collegiis; vel ut primo quoque tempore vendat. Aliarum item rerum nihil possidere potest, praeterquam earum, quae ad ipsum usum sunt, vel habitationem opportuna, idest necessaria, vel admodum convenientia. Itaque merum habet dominium professa Societas domorum, ubi habitat, et rerum, quibus utitur ad victum, vestitum, libros, et si quae sunt praeterea ad eorum explendum ministerium necessaria. Sed hunc tamen usum, etiamsi districte debeat esse pauper, noluit Societas scrupulose exponere; non enim excludit habitationis et rerum, quibus utitur, opportunitatem, quae et nihil officiat tenacissimae paupertati, et prosit nostrorum hominum necessitatibus, tum valetudinem commode tueatur.

Post emissam professionem. Vel post vota coadiutorum emissa. Nam hos est necessum, ut iam annotavimus, eodem voto teneri.

Coram Praeposito. Vel qui ex eius commissione vota susceperit. Editur porro votum hoc, et reliqua, de quibus, Christo propitio, agetur, privatim quidem, quod ad externos attinet, sed palam quod ad nostros.

In conspectu Creatoris. Est hoc votum quod Deo fit; nihil igitur moveat, quod dicitur in conspectu Dei fieri. Idem enim intellexit P. Ignatius, acsi diceret Creatori. Ita enim solebat vota explicare.

Immutandum. Adde, nisi aliquo pacto pro re nata videretur paupertas magis etiam restringenda, quemadmodum hoc loco Constitutio exponit.

In Constitutionibus. In Declarationibus etiam, et Examine, quae et hoc loco, et alibi nomine Constitutionum intelligimus, et eandem auctoritatem habent, quam illae, quae proprio nomine Constitutiones appellantur. Simul hoc loco necessario intelligimus eodem voto comprehendi, illa longe minus esse mutanda, quae de paupertate in formula Instituti sunt sancita, et ab Apostolica Sede confirmata.

Si aliquis ex fundatoribus. Hi solum intelliguntur, qui erigunt domos, vel Ecclesias; non si quivis alius, qui donare, vel legare redditum vellet ad usum fabricae, neque ad alium quemvis usum, agnosci illa eleemosyna, vel accipi deberet perpetua. Sed rem tamen si excutiamus attentius, donatio illa esse non potest vel legatum, nam eius nulli acquiri potest dominium; nulli ius utendi. Ubi enim hoc fieret, semper dominium maneret apud eum, qui donasset, vel alios, et nihil aliud, quam voluntaria ex illa rerum dispositione eveniret fabricae eleemosyna.

Et sic in rebus similibus. Quae redditus, vel fructus darent.

Vel tempus congruum. Exiguum tamen, ut si duos, aut tres dies dicas, et nihil temere amplius, nisi urgente morbo, quo necessario detineretur.

Diu etiam possent. Extra ordinem, ut dictum est; indefinito etiam tempore ac diuturno potest professus in collegio ali, primum, ut Superintendens magni collegii, in quo maior eruditio, si nihil aliud, quam coadiutoris requiratur, ordinario etiam iure, ut annotatum in parte sexta Constitutionum. Deinde fiet plerumque ut professores Theologiae esse non possint, nisi professi, nec Cancellarius Universitatis, et qui huiusmodi alia officia gerent. Verum hi ex professis quidem designari possunt, nunquam tamen ex illis accipientur, nisi quando aliter collegium vel non poterit, vel commode non poterit administrari. Huius vero rei iudicium Generalis Praepositi erit; quod iudicium aliis non committet, nisi quibus rerum omnium fidem habeat. Illud tamen est curandum, ut collegii, in quo hac ratione professi collocabuntur, sit Superior professus, quandoquidem qui professus non est, professis praeesse non potest, ut prima declaratione tertio capite octavae partis statuitur; etiam si possit ex commissione, qui non est professus, extra ordinem praeesse iis, qui sunt professi. Illud tamen melius, siquidem necessum sit professos in collegiis habitare, ut illis collegiis professus praeficiatur; et iam usus obtinet in Societate, ut passim collegiis professi praeficiantur, quod facit idoneorum coadiutorum penuria. Postea in tertia Congregatione est definitum: qui non sunt professi quatuor votorum Rectores et Ministri, Sacerdotes, praeesse possint et debeant quatuor votorum professis.

Confessionum. Ad has solum nunquam fere erit

cur sit alendus in collegiis professus. Nam est illud munus coadiutorum spiritualium peculiare.

Qui id praestare deberent. Non ex officio quidem, sed ex rei natae necessitate. Nam ubi alii deessent, qui illud praestare possent, id scholastici essent obituri; sed tamen eorum studia interim detrimentum paterentur; quod ne contingat, est omni studio providendum.

Necessarium, aut conveniens. Hac dispensatione nullo pacto utendum videtur, nisi ubi in domibus professis ali omnino non possent huiusmodi universalis boni operarii; et esset quidem haec interpretatio auctoritate Apostolica confirmanda. Videtur enim facile ex dispensatione desumi occasio infirmandae paupertatis nostrae, quam debemus longe purissimam conservare.

Viatico aliquo. Exiguo, ut pauperi et mendico, et vehementer egenti, nec alio, quam de quo dicitur secundo capite Declarationum quartae partis.

Ut vestitum, et viaticum. Sat est, si domus professa alat de suis eleemosynis novitios. Verum cum ad studia sunt mittendi, et propterea vestiendi, et viatico donandi, aequum non est ut eam impensam faciat domus; ea enim attinet ad collegium, quo mittuntur, vel omnino ad Provinciam a qua mittuntur; neque enim domus debet eos, qui collegiorum sunt, vel vestire vel alere, quod collegia debent. Et tamen non sunt novitii usitatis vestibus exuendi, ubi ad collegia mittuntur, sed praeter supremas, reliquae vestes, quibus utuntur, sunt illis relinquendae; si quibus aliis egent, eis collegium idem suppeditabit.

Et tantundem de rebus. Caveant Superiores, et quidem accurate, ne haec generica extensio sinceritatem sanctae paupertatis laedat; atque adeo erit consultius, si nunquam ad alia similia ultro animum adii-

ciant; et necessitas aliqua extrema ea sit, quae adigat Superiores ad similia haec consideranda.

Non est habitura Societas. Professa, non eius domus, vel Ecclesia, nisi ad ea, de quibus superius, et in quarta parte et hoc capite est dictum.

Teneatur eo quam primum fieri poterit. Cum non possit ius aliquod acquirere civile Societas, ut retineat, et haec sit extraordinaria quaedam dispensatio, ut retinere aliquo pacto possit; necessum est tempus hoc retentionis esse exiguum, ne censeatur retineri simpliciter ius aliquod civile: si qui praeterea fructus eo tempore excreverint, ii non censebuntur esse Societatis, sed similiter dispensandi, ut res tota.

Vel externis. Ubi Societas vel in domibus professis, vel in collegiis, vel in probationum domibus non egeret, quod fere nunquam erit, tum propter statum paupertatis, tum propter nostrorum ministeriorum amplitudinem; et erit alioqui semper necessarium, ut ad augmentum Societatis, ad maiorem Dei gloriam, contendamus. Illud tamen exponitur, quod fieri quidem potest, tametsi nunquam fortassis erit. Haec quum ita sint, veruntamen ad externorum aedificationem faciet, si aliquid eleemosynae ex his distributionibus detur externis pauperibus.

Temporis tamen opportunitas. Quae tamen nihil aliud sit, quam opportunitas, et quidem necessaria.

Ut pecuniarum. Diligentissime est animadvertendum, tum memoria, atque animo retinendum, et re ipsa fidelissime exequendum, nihil posse harum rerum retineri, nisi quatenus ad opportunitatem habitationis, et usus proprii faciant; ea vero erunt, quae ad commodam habitationem, quae ad victum quotidianum ac vestitum, quae ad libros, quae ad supellectilem spe-

ctant. Sed opportunitatem metiemur ex necessitate et paupertate, tum ex simplicitate status nostri.

Potest in communi Societas. Non haec, vel illa domus, sed universa Societas, quae constat ex professis et coadiutoribus formatis, omnium horum mobilium proprietatem habet, simul rerum immobilium; et omnia administrat per Praepositum Generalem, per quem derivatur facultas administrationis ad alios Superiores; neque necessarium usquam est suffragia Patrum adhiberi ad ineundos contractus, vel civilem aliquam actionem exercendam in rebus temporalibus. Tantum in re graviori audiendi sunt consultores, vel etiam alii earum rerum periti; reliqua a Superiore transiguntur, qua de re extant decreta primae Congregationis generalis. Et haec quidem ex Instituti ratione, et Apostolica confirmatione faciebamus, nec fere quicquam fiebat praeter ius commune. Nam et passim alienationes fieri possunt in evidentem utilitatem absque consensu capituli, vel conventus ubi illa sunt; et apud nos perpetuus est consensus totius Societatis, quae illam facultatem dedit Generali Praeposito. Tantum fuit curandum, ut haec, quae apud nos clara sunt, externis persuaderentur: nec propterea abroganda fuit constitutio, et deroganda Praeposito Generali sua facultas, et tamen donec melius huic rei consulatur observandum est, quod nobis instigantibus statuit Pius V, si tamen cogat illud diploma contra ius nostrum facere.

Colonum aliquem. Significatur posse de nostris esse, et tamen tutius erit, ut externus sit, sed caelebs, et cui fidere possimus etiam in moribus, ne, si quid ipse peccet, nobis imputetur quoquo pacto.

Qui hortis, vel agris. Ne intellige agros, ac ne hortos quidem possideri, ac retineri a Societate pro-

fessa posse alios, quam eos, quorum vel commoditas, vel fructus opportuni ad professorum et coadiutorum usum esse possint. Quod vero de colono dicitur, fere nunquam usu veniet. Cum enim utilitas illa, quam colonus accipiet, non possit deputari colono in stipendium (nam is censeretur esse redditus proveniens Societati ex hortis, quod haud dubie intellexit, et vitavit declaratio, ubi proventum hortorum, vel agrorum donat colono, vel permittit in eius privatam utilitatem, neque dixit in stipendium) fiet ut detur in eleemosynam, ut liberale donum. Est autem alienum a nostra paupertate, si quos fructus agrorum annuos non possumus possidere, eos possideamus, ut aliis donemus. Ex hoc igitur loco aliud nihil intelligimus, quam ita conservandam esse accurate nostrae paupertatis puritatem, ut si paululum agelli accedat ad hortos domorum, quod eodem attineat, quo horti, ut recreari possint nostri; vel nullus inde fructus accipi alius possit, quam qui sit opportunus usui domus, vel si quid amplius, id adeo exiguum sit, ut facile illud donare Societas possit colono saeculari, praeter stipendium, conservata disciplina ac decoro paupertatis.

V. *Accipi pro illo videatur.* Quamvis eleemosynae ratio sit, ut propter Deum ex misericordia et charitate erogetur, solet simul alio referri, ut eleemosyna quidem detur, sed pro missa. Haec ratio est nobis prorsus interdicta. Non enim, si quo pacto sciamus ad aliquod ministerium referri, accipere illam possumus. Sapienter autem dicitur *videatur*, etiam si paraphrastice. Nam, si quo signo certo appareat eleemosynam ad ministerium referri, illam recipere non possumus.

Intelligi debet de rebus. Ante annum probationis exactum non potest Superior iubere, ut bona sua dis-

tribuant novitii; potest tamen, et debet scire quae bona habeat novitius tum mobilia, tum immobilia; et quidem mobilia, quae habet, ubi novitius habitat, ea sunt depositario ex nostris ad hoc munus deputato tradenda in depositum; alia vero sive immobilia, quae ubi habitat, sive quaecunque alibi possidet, manifestare quidem Superiori debet novitius, non tamen in depositum tradere. Tamen, si ante annum vellet distribuere, arbitrium erit Superioris, num id ex eius usu sit futurum. Quod si illam distributionem boni consuleret Superior, esset tamen distributio ex consilio Christi facienda iuxta Institutum, et hoc posset ex obedientia praecipi, quam novitius ex animi proposito observare se velle profitetur, etiam si ex voto non teneatur. Si vero obedire nollet, esset iudicium inde Superiori sumendum, quid de illo novitio esset statuendum, ut hoc capite in Constitutiones est annotatum. Post annum vero novitiatus exactum, idem ex ratione voti vel promissionis necessario observandum. Illud praeterea diligenter animadvertendum erit, ne ex retentione dominii suarum rerum, occasionem accipiant novitii imperfectionum, vel tentationum, vel omnino non progrediendi in via Domini. Consultissime tamen est distributio illis praescribenda ante tempus professionis, vel votorum, quae edunt coadiutores, et attentissime animadvertendum, num sint constantes futuri. Sed de his in tertiam partem Constitutionum annotatum est. Nulla autem ratio habeatur, quod interim illis bonis utatur fortasse Societas, et propterea differatur professio etc. ne hoc ad impuritatem paupertatis attinere videatur. Ex his, et haec § et sequens, spero, erit perspicua.

Quandocunque. Post primum probationis annum, ut in Examine dictum est, et annotatum.

Vel saltem. Ex diplomate confirmationis accepimus in his, quae ad victum, et vestitum, et cetera exteriora attinent, a sociis, hoc est a professis, communem usum, atque approbatum sacerdotum esse sequendum. Exponit hoc loco constitutio, vestitum esse ad usum loci, ubi habitant, accommodandum. Declaratio interpretatur aliquid quidem posse immutari, sed non omnino ab illo usu posse recedi. Postremo de vestitu non sacerdotum tantum, sed aliorum etiam, egit Congregatio prima generalis. Quae omnia eo attinent, ne novum habitum inducamus in Societatem, sed ecclesiasticum retineamus; non qui temere mutetur pro locorum varietate, praesertim si eam varietatem induxerit vanitas, vel temeritas, sed qui ad antiquum Ecclesiae morem esse videatur accommodatus; is enim est sacerdotum honestorum habitus.

Eo uti possint. Ubi primum ingrediuntur, si ita videatur Superiori, quod in primum caput Examinis declaratur.

Melioribus, honestis tamen. Esto sane haec dispensatio; verum non erit cuiusvis, sed Generalis Praepositi, aut ex eius commissione. Est enim res gravissima, atque exempli periculosi, si quis e nostris non induatur de consueto et communi more Societatis, neque facile cogere poterit aliquis rerum eventus, vel necessitas, ut hac dispensatione sit utendum.

Relinquetur discretioni eorum. Non medici, nisi eius iudicium videatur necessarium, cui et arti sit serviendum, vel periculum sit absque medici iudicio aliquid hac in re praescribere; attente tamen tunc est advertendum, ne medicus indulgeat nostris praeter artem suam.

IN DECLAR. III. CAP. VI. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Superior id facere poterit. Satis ex hoc loco intelligitur esse in arbitrio Superioris positum, ut praescribat tempus vel nimium fervidis, vel tepidioribus. Quare consulte fecit Societas, ut omnibus praescribat regulas, ut sunt iam constitutae in domibus professorum, quas esse necessarias ex hoc etiam loco colligere possumus. Nam si debent incitatiores, vel tardiores certa regula contineri, ac gubernari, et faciat hominum imbecillitas, ut hoc frequenter contingat, necessum erit regulas poni, quibus omnes gubernentur. Nam qui absque regulis idem praestarent, iis non oberunt regulae, sed eos potius recreabunt, ac confirmabunt; aliis haud dubie erunt necessariae. Itaque his solis videbuntur esse positae regulae; siquidem iusto lex non ponitur, et tamen observantior est iustus legis. Hinc plenior, spero, proveniet intellectus, et huius declarationis, et constitutionis. Haec quum ita sint, est tamen certum, et usitatum, ut probatissimum quemque sinant Superiores suo spirito duci, et in his exercitiis, de quibus nunc est sermo, et in ministeriis Societatis gerendis, ne spiritus videatur inhiberi, et impediatur fortassis maior fructus spiritualis.

Vespertinum officium tantum. Cur non etiam Missa? propterea quod Missa, etiam si absque cantu vel tono aliquo celebratur, habet unde longe plus alliciat; habet etiam unde obliget.

Sed tono quodam. Excludimus quidem cantum musicum, tum etiam eum, qui dicitur Gregorianus, quo communiter utuntur Ecclesiae. Reservamus illum, qui dicitur unitonus, in quo nulla fit vocum inflexio; in hoc enim addiscendo nihil est negocii, in exercendo nil sollicitudinis.

Suavi. Non habet quidem ex se suavitatem ille tonus ex arte, sed devotionem, et simplicitatem; intelligimus tamen perspicuitatem prolationis facere, ut suavis esse videatur.

Officium quod tenebrarum. Respicimus et hic, ut ad confessiones populus alliciatur, ad devotionem etiam Passionis Christi. Quemadmodum autem fuerit illa pars chori, quae iam obtinuit usum in Societate, inducta, annotatum iam est in Constitutiones hoc loco. An vero hic usus sit abrogatio partis declarationis, ego vehementer dubito. Hic enim usus, certus, firmus, et communis in universa Societate, et factum P. Ignatii, quod instar est traditionis, faciunt, ut Constitutio videatur abrogata latenter. Nam quid aliud dicamus perpetuam dispensationem? Illinc tamen duae generales Congregationes Constitutionem agnoscunt, atque confirmant. Quid igitur? nunquam censeri debet abrogata Constitutio, donec ita decernat generalis Congregatio. Interea, ut censet Societas, habeatur illa chori usus dispensatio.

Quid horum possit tolerari. Nam declaratio quaedam in secundum caput quartae partis non nihil in aliis obligationibus videtur, excepta animarum cura, permittere; sed nihil tamen ex hoc loco definias, nisi illum cum suis annotationibus inspexeris.

Facultas dispensandi. Quum hanc alioquin habeat

Generalis Praepositus, quemadmodum tertio capite nonae partis traditur, difficultas potius dispensationis insinuatur, quam facultas. Ratio enim, quapropter possit dispensare, praescribitur. Ceterum, si aliquando erit dispensandum, et ad officium testamentariorum dispensetur, id fiat ad opera pia tantum exequenda, non etiam ut quis e nostris procurationem rerum saecularium suscipere pro externis possit; id enim prorsus alienum est a nostra vocatione, atque Instituto.

In gratiam alicuius. Ne personarum acceptio haec esse videatur, aut imperfectus respectus personae, intellige non unum hominem debere nos magis respicere, quam alium, nisi ratio sit honesta, quae nos moveat, et quidem ad finem Societatis relata, quae etiam externos aedificet in Domino.

IN DECLAR. IV. CAP. VI. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Aliquot horae deesse. Quamvis in Constitutione non statuatur numerus viginti quatuor horarum, intelligi tamen potuit illum numerum designari, qui passim est usitatus: propterea haec declaratio adiicitur.

Candelis accensis etc. Quod dicitur *et caetera*, usum indicat Domus Romanae. Is autem usus sic habet; praeeunt duo fratres induti superpelliceis, gestantes accensos cereos; sequitur frater etiam cum superpelliceo gestans crucem sublimem; sequuntur deinde fratres omnes, et patres cum candelis accensis;

deinde cantores praecedunt sacerdotem, qui funeris officium est obiturus. Hic pater superpelliceo ornatur et stola, cui dantur duo comites ad latus superpelliceis induti; post hos portatur in feretro cadaver, ad cuius quatuor angulos gestantur singulae cereae faces a quatuor fratribus. Cum hac pompa ad ecclesiam venitur, ubi, deposito feretro in medio templi, circumstantibus patribus ac fratribus, ut solet in choro, simplici tono recitatur nocturnus officii defunctorum illius diei cum suis laudibus. Quibus expletis, sepelitur corpus, ut solet communiter. Hunc usum sequentur in Provinciis nostri, quoad patietur regionum varietas, quemadmodum de Missae ceremoniis statuit Constitutio octavo capite quartae partis.

IN DECLAR. I. CAP. VII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ad locum aliquem particularem. Non refertur haec quarti voti obligatio nisi ad missiones ipsas, qua huiusmodi, quasi si dicas, ad distributionem operariorum in vineam Domini; sive ad domum aliquam fundandam, vel etiam collegium mittere velit Summus Pontifex, sive ad alias partes in totum terrarum orbem ad ministeria, quae ad salutem animarum, ad fidei defensionem, vel propagationem conferantur. Reliqua enim quasi privata sunt munia Societatis. Missiones vero illae munus sunt Ecclesiae publicum, atque adeo quod ad Vicarium Christi attineat. Etenim Summo

Pontifici incumbit in universum, ut vel negligentia vel penuria operariorum animae ne pereant, vel periclitentur, non tamen ubi Episcopi sunt, sed ubi nulli sunt. Quare fuit rationi consentaneum, ut caput hoc nostri Instituti primarium, non tantum ex communi obedientia Summi Pontificis vel ex sola Praelatorum nostrorum obedientia obiremus, sed religiosa voti obligatione, quam selecte Summo Christi Vicario praestaremus, quo et certissime ageremus, et maiori etiam cum devotione ac fructu; neque aliorsum sunt verba confirmationis interpretanda.

Per quem Summus Pontifex. Vel omnino per alium quemlibet idoneum, si immediate Summus Pontifex missionem curaret. Et sane hoc munus videtur esse Generalis Praepositi in aliorum missionibus.

IN DECLAR. II. CAP. VII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Particularibus etiam securius est. Securius haud dubie est ex obedientia Superioris proficisci, quam si absque ulla omnino obedientia et pro arbitratu proficiscerentur. Non tamen securius, quam si ex obedientia Summi Pontificis, quam debemus ex quarto voto. Haec enim obedientia non securior solum est, sed etiam necessaria magis. In aliis vero omnibus, praeter ea quae ad missionem pertinent, in obedientia Superiorum regularium esse eos, qui mittuntur, utilius et securius est. Neque enim, si quem ex nostris mittat

Summus Pontifex, eum etiam eximit a Superiorum suorum obedientia in his, quae vel non impediunt, vel etiam iuvant missionem.

Universale bonum. Non quod est universale bonum simpliciter, sed cui cum Societatis Instituto recte conveniat, ut in Constitutiones hoc capite annotatum est.

Damnationis extremae. Est hispanice *integrae*, vel consummatae damnationis; ea est et extrema et aeterna.

Vel collegia Societatis sunt. Non tamen plures operarios propterea alere debet collegium, quam pro suo instituto, et ratione fundationis; ne fiant collegia domus professae et enervetur paupertatis perfectio. Si qui igitur eo mittantur, qui numerum eorum, quos alere potest collegium, superent, ii vivere ex eleemosyna deberent.

Ex beneficientia populi iuvantur. Non eo spectat haec Constitutio, ut quasi hac promissione alliciamus homines ad fundanda collegia, sed affectum necessarium gratitudinis explicamus, et charitatis.

Talem ob causam. Recte subditur iuxta ordinem perfectae charitatis. Non enim ad temporale emolumentum spectare debemus, quasi videamur pro illa eleemosyna aliquid plus minusve facere. Est igitur haec correctio potius, quam explicatio.

In hunc locum. Fit quidem hoc loco rerum consideratio et collatio; sed ex hac rursum locorum collatio, et electio.

Priores in missionibus. Sed hae quidem prorsus praeferende, ut ad quas Dominus proprie Societatem vocavit; eo enim nostra vocatio spectat, ut illae animae iuventur, quibus ab aliis ministris subsidium non expectatur.

Ut fundationes aliquae. Et in his praecipuo studio, cura, et diligentia procurandae sunt domorum probationum, collegiorum, et domorum professarum fundationes. Haec enim perpetua sunt opera, et quae omne opus pium complectuntur, ut ex quibus omne opus misericordiae ex Instituto Societatis nasci potest et debet, spirituale, corporale, temporarium, perpetuum.

Quum fieri posset. Fieri quidem et poterit et debebit, ubi erit numerus maior patrum. Nam his initiis, et adeo multi non sunt, et qui possunt in ministerium mitti, ii magna ex parte inserviunt fundationibus collegiorum, vel sunt superiorum disciplinarum publici professores. Nil igitur mirum hoc tempore, si mittantur nonnunquam singulares. Institutum tamen postulat, ut professus unus cum uno coadiutore spirituali proficiscatur, quibus unus detur coadiutor temporalis. Et haec futura est ratio missionum communiter, Christo Iesu propitio; tametsi poterit professus cum coadiutore spirituali vel etiam temporali mitti. Prior ratio tamen est plenior.

Maiorem proximorum aedificationem. Maiorem necessitatem, decentiam maiorem e nostri Instituti ratione, et si quid aliud sit, quod ad maius Dei servitium spectare possit. Quae omnia in eo intelliguntur quod additur: *et divinum obsequium etc.*

Ne quis Principem etc. Solent enim hi et importunius petere, et potentius, et affligere mittentium libertatem, et ut praepostere fiant missiones, quasi cogere. Scio ego P. Ignatium gravissime verbis castigasse e nostris quendam, qui huiusmodi officio usus fuerat apud quendam virum primarium, et gravi praeterea poenitentia mulctasse.

His non repugnat. Non in alienis solum missionibus, sed in propriis etiam hoc non repugnat. Diligenter tamen prius orandum est, et abigendi in Christo affectus omnes, qui interturbare possint, atque in pura indifferentia sistendum, ac tantummodo maior Dei gloria, ac maior proximi profectus ob mentis oculos constituendus; quae existimari debent in eo posita quod censebit Superior.

Sed demum hoc fiet. Verum non erit opus semper ut omnia, quae ad instructionem attinent, in scriptis accipiat, ubi praesertim aliqua essent, quae literis non viderentur tuto committi posse.

IN DECLAR. III. CAP. VII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA.

Cum eo Superiore. Cuius tamen sententiam non erit necessarium sequi eum qui missus est, nisi sit sub illius obedientia, non in aliis solum, sed in ipsa etiam missione. Hoc vero erit indicendum a mittente, ut sit missus in obedientia proximi Rectoris vel Praepositi, si non in omnibus, in his saltem quae ad religiosam attinent conversationem et vitam. Poterit igitur eius consilio uti, si sub eius non erit obedientia in missione, pro suo arbitrio libere et humiliter in Domino.

IN DECLAR. IV. CAP. VII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Sunt Principes ecclesiastici. Et in his primo quidem loco Summus et Pontifex et Princeps Papa.

In quibus residet. Non exprimunt haec loca, quod in missionibus idem non sit censendum; sed cum accidere possit missiones ad aliquod negocium spirituale conficiendum nominatim conferri, non ad haec communia ministeria; noluit declaratio exprimere missiones, quas sciebat ex praescripto Superiorum versari debere in Societatis ministeriis.

Non nisi paucis. Paucos dicimus, si ad multitudinem aliorum spectemus, tamen illos paucos speramus in Domino fore multos. Nobis quidem certe est committendum, ut sint quamplurimi, qui exactissime exerceri et velint, et possint, non aliis solum meditationibus, sed electionibus item, et pleno successu atque districtione. Hi partim erunt, qui nolent de statu vitae universae deliberare, ac constituere; partim qui de statu vitae quum nihil sit quod consulant per exercitia, poterunt tamen in electione aliarum rerum, quae ad maiorem proventum faciunt spiritualem, exerceri. Aliis praeterea dari poterunt exercitia omnia absque electionibus: aliis totius primae hebdomadis, et aliquot secundae, aliquot item tertiae, ut isagogen habeant ad meditationes vitae et passionis Christi. Simplicissima tandem declaratio ea est, quae hac declaratione per-

stringitur. Verùm de his omnibus agitur tertiis ultimis annotationibus ex iis, quae ad initium exercitiorum praefiguntur; inde reliqua petantur.

Nisi qui ad earundem. Fere hoc non continget. Si tamen contingat, ut saecularium congregationes apud nos habeantur ad utilitatem collegiorum, adiget necessitas, neque tamen propterea usus earum congregationum est inducendus.

IN DECLAR. I. CAP. VIII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Praecipue ad professionem. Nullus qui idoneus non sit, ad aliquem debet gradum admitti, et id quidem, ut diligentissime in omni gradu sit observandum, quo maior erit gradus, eo diligentius et observandum et cavendum. Unde constat maximam omnium esse diligentiam adhibendam, ubi ad professionem sit quis admittendus non solum quatuor, sed trium etiam votorum.

Quamvis Collateralis. Quum in universo Societatis Instituto eximia quaedam perfectio eluceat, tamen sunt loca aliqua, in quibus quasi effulget clarius illius perfectio et gratia, tum P. Ignatii illustris spiritus, ac sublimis in Domino. Hoc quis non deprehendat in hac constitutione, in qua ita de Superiore, ac de eius Collaterali statuitur, quasi lex daretur perfectissimis hominibus et quibus nihil difficile esset futurum, et qui nihil dimoveri possent ab officio propter varias rerum difficultates, quae ex usu huius constitutionis

consequi possunt, si ad communem hominum imbecillitatem spectemus? Fieri enim vix potest, ut Collateralis nihil sibi arroget, nihil noceat unitati et obedientiae in tanta libertate. Rursum, Superiorem esse oportet constantissimum, quem non moveat Collateralis auctoritas, et necessaria exemptio, et huius vel auctoritatis vel exemptionis usus. Reliquas difficultates quivis colligere lecta constitutione poterit. Breviter, multa in hac re esse videntur, unde in domibus et collegiis possit divisio excitari et ali; et tamen confidentia Societatis, et lux Instituti fecit, ut haec omnia viderentur facilia: et certe usus Collateralis poterit esse varius, unde molliri possit huius constitutionis difficultas. Integrum quidem erit Generali Praeposito Collateralem pleno iure designare, sed tamen esse poterit usitatius, si Collateralis detur alicui, qui ea quidem suo iure obtineat, quae ad officium Collateralis pertinent proprie, in reliquis tamen, ut obedientiae Superioris subdatur; quemadmodum solent esse aliqua, in quibus Assistentes a Generali Praeposito non pendent, vel consultores a suis Superioribus. Poterit igitur usurpari variatio Collateralis pro ratione varia rerum, personarum, locorum, accidentium. Et illud erit semper cavendum, ne quod est institutum ad unionem congregationis conservandam ac muniendam, illud afferre possit divisionis, et inquietudinis periculum.

Et modestia christiana. Praemissa, intellige, oratione.

Si Praepositus. Vel cui erit Collateralis, non enim solis Praepositis adhiberi potest.

Vel Provincialem. Vel etiam Commissarium, si quis fuerit.

Officio suo deesset. Nulla datur alia facultas hoc loco Collaterali, nisi ut facere certiorem possit Generalem, vel Provincialem, si quacunque ex causa suo officio desit is, cuius est Collateralis; quod quidem videri potest esse dictum tertia ab hinc superiori §; certe cum illius § moderatione hic locus intelligendus est. Et tamen aliud est quod hoc loco desiderari potest: quidnam videlicet sit facturus Collateralis, an solum sit scripturus, si aliquid eorum contingeret, quae notantur in declaratione. Id considerabit qui dederit Collateralem, et praescribet diserte, an aliquam facultatem praeterea sit habiturus Collateralis in aliquo casu.

Utatur Collaterali. Cum sub obedientia eius non sit Collateralis, cui adhibetur, necessum quidem est hunc usum non esse certum, sed pendere ex iudicio Collateralis, ubi praesertim perfecta ratio Collateralis observabitur; quod tamen raro fortassis fiet. Qua de re superius est annotatum. Frequens autem usus erit, ut in obedientia sit Collateralis in aliis omnibus, praeterquam in iis, quae sunt sui officii propria; quae ratio si observetur, nil erit difficile in hac declaratione.

Ad Praepositum Generalem pertinent. Non solum in iis, quae particularia sunt, et ad gubernationem sui ministerii proprie attinent, utetur eius opera; sed in aliis etiam, non tantum quae obedientia Provincialis, Commissarii, et Generalis Praepositi postulat, sed omnino in iis, quae ad universum corpus Societatis spectant; ut videat, ne usus sui officii vel actiones imminuant respectum, quem gerere debet in Provincialem, Commissarium, Generalem, et Societatem ipsam.

Quin aliquis. Difficile erit, si ad praxim spectes

et communem hominum infirmitatem, eum recte suo officio Collateralis fungi, qui non possit ferre obedientiam Superioris. Nam unde hoc tandem proveniet, nisi ex spiritu superbiae, vel naturae pravitate, vel animi aversione, quae superata non sit, vel ex periculo, quod timetur, ne sub obedientia vivere illius Superioris possit? Vix igitur aliquid sperari boni, vel perfecti ex his principiis poterit in tanta libertate Collateralis. Quare hunc locum ita intelligerem, ut hac de causa nunquam mittatur Collateralis, nisi fortassis aliqua tam urgens necessitas intercederet, ut commodius Generali Praeposito videretur ineptum Collateralem mittere, quam nullum, praesertim si fore videretur in ea missione ad alia ministeria necessarius. Vel plane videtur declaratio eo spectare, ut tentationes futuri Collateralis praeveniantur, et eo adduci per se possit, ut nolit ipse esse exemptus a Praeposito, et pudeat eum suae libertatis.

Potest ab obedientia. Scimus exemptiones vulnera esse obedientiae, et congregationum infirmitates, nec publice tantum laedunt, sed privatim etiam, vehementer eos, quibus conceduntur. Nam difficilis illi futura est via ad perfectionem, qui ab ordinaria ac praesenti obedientia eximitur, praesertim propter imperfectionem. Quare, si hic locus ad praxim conferatur, ita videretur intelligendus, ut exemptiones facere simpliciter quidem possit Generalis Praepositus; ne faciat tamen, nisi causa urgebit necessaria. Et illis quidem potius esset exemptio danda, qui perfecti alioqui essent et obedientia egere non viderentur: quod si aliquando aliis daretur, id quidem fieret ad tempus, atque ut per exemptionem manuducerentur ad obedientiae desiderium, et

perfectionem; modo interim quieti et modesti essent, neque aliorum unionem et obedientiam laederent. Qui vero propter imperfectionem non videntur posse praesentem obedientiam perpeti, hi potius probationibus legitimis essent exercendi, donec esset exploratum, an idonei sint ad nostram vocationem. Si quem autem Generalis Praepositus ita eximat, illius sciat se esse rationem daturum Deo et Ecclesiae, quum tamen difficile sit absentem immediate gubernare, et eum praesertim, qui non patitur praesentem obedientiam. Suscipit igitur, quum aliquem eximit Generalis, duram provinciam in se solum, et omni studio et diligentia curare debet per certos exempti observatores, ut intelligat, quemadmodum se gerat in rebus omnibus, ut saltem per litteras illum gubernare possit. Iam si has habent difficultates Generalis Praepositi exemptiones, non minores extabunt in Provinciali, sua proportione; et nimium quidem videtur haec facultas eximendi extendi. Quare consulerem Generali Praeposito, ut hanc constitutionem ita interpretetur: eam facultatem, quam accipere hic videtur Provincialis, dependere a Generali, et prohibere, ne illius esset sine sua licentia.

Bona existimatio. Haec existimatio, si concipiatur tantum ex doctrina, ex dicendi facultate, ex dexteritate in rebus gerendis et aliis id genus donis, vel si magna ex parte ex his pendeat; infirma quidem erit, et quae ad principium non attingat, quod est gratia officii ex legitima vocatione; ac proinde Iesus Christus in eo habitans, ac per illum nos gubernans. Ad hoc igitur principium si illa dona accedant, augere quidem apud inferiores possunt Superioris existimationem: tamen inconcusse semper illud principium retineatur, illo obe-

dientia nostra nitatur, haec iuvent. Non enim pendere debet obedientia ac reverentia ex contingenti, vel Superioris dispositione, vel inferioris existimatione: et experientia compertum est, quum ex bona opinione Superioris aliqui multum penderent, ubi leniter ab eo acciperentur, fuisse obedientissimos; ubi vero severius tractarentur, fuisse non mediocriter labefactatos in obedientia. Non enim principium illud sibi impresserant, ut Christo in Superiore obedirent, Christum in ipso venerarentur, et observarent, sed accidentariam qualitatem.

Poterit nihilominus. Consulte atque adeo necessario opponitur declaratio, ne quod versio constitutionis habet magna ex parte, et exemplar quidem hispanicum maiori ex parte, possit quis interpretari, quod sit necessum, bonam partem temporis oportere Generalem agere extra urbem, modo maiorem in urbe, quod tamen ita non est; sed habitationem quidem Generalis Romae debere esse intelligimus, nisi si quando subditi sint visitandi iuxta negocia, vel necessitates occurrentes. Et foret quidem utile in primis, si Generalis quivis semel omnia collegia, ac domos visitaret: magnam inde consequeretur lucem, magnam rerum peritiam, magnam auctoritatem, magnam gubernandi facultatem. Hoc si non faciat, certe non deberet omittere, quin mitteret ex Romanis Patribus aliquem, qui Generalis fungeretur officio ex commissione. Quibus autem comitibus utetur Generalis, si diuturne ab urbe aberit, id attigit generalis Congregatio prima, cui tamen decreto illud videtur addendum: non esse integrum Generali, ubi esset visitaturus totam Societatem, vel alioqui negotia gravia tractaturus, non ducere secum

duos aut tres Assistentes. Non enim in rebus gravibus potest recte atque ordine officio suo fungi, nisi suos Assistentes consulat.

Eadem erit ratio, atque Generalis. De visitatione Provincialium visum est primae Congregationi generali, ut statueret Generalis Praepositus, qui poterit, inquit, Provincialibus iniungere, ut quotannis visitent domos et collegia suarum Provinciarum, vel eorum arbitrio id relinquatur. Itaque ipse Praepositus Generalis Constitutiones interpretetur in hac parte; et id quidem fuit operae pretium Congregationem exponere, ne ex hoc loco putarent Provinciales, se non esse obstrictos ad suas visitandas Provincias frequentius, quam Generalem ad omnes. Tametsi eadem haec declaratio dicit, *valde est proprium Provincialis visitare*, quod de Generali non dicit. Quando vero addit Congregatio, quod Provincialium arbitrio relinquatur, intellige illud Provincialium arbitrio permitti, num frequentius, quam quotannis, visitanda Provincia sit. Et alioqui fuit necessarium Provinciali id committi, propterea quod multa collegiis et domibus accidere possunt, quae particulari egeant visitatione extra ordinem.

Qui adhuc litteris. Hispanice est simpliciter: qui litteris operam non dederunt. Additur *adhuc* paraphrastice. Praecipitur enim, quod est in primis necessarium, ut eamdem doctrinam sequantur Praeceptores nostri; eadem nostri scholastici instituantur.

Ut plurimum. Est hispanice, *comunemente,* idest communiter; quod propter minuta et minima dicitur, ad scrupulos abigendos. In rebus enim, quae momentum aliquod habere possunt, erit omni studio et diligentia uniformitas doctrinae et praescribenda et observanda.

Qui autem studiorum. Sive illum apud nos peregerit, sive alibi.

Quoad eius fieri poterit. Cum nihil sit, cur fieri non possit, intelligamus intentionem animi hic significari, non remissionem indulgeri; et ideo omni studio, cura, diligentia esse contendendum, ut illud fieri possit.

Vel Rectores. Vel Praefecti probationum, qui in obedientia non sint Praepositorum localium, vel Rectorum.

Si fieri potest. Ad missionem litterarum hoc refertur, non ad scriptionem. Non est enim intermittendum, quin singulis hebdomadis scribatur; non poterunt tamen fortassis singulis hebdomadis litterae mitti; mittentur ubi erit praesto tabellarius. Licebit tamen hac uti interpretatione et libertate, ut litterae non obsignentur, donec iam sint dandae tabellariis, quo possint ad easdem adiungi alterius hebdomadis, vel plurium acta, quasi continuata quaedam historia, nec aliae litterae novae sint scribendae.

Et alii. Praepositi videlicet locales, Rectores, Praefecti probationum, et qui versantur in missionibus.

In Regno diverso. Quamvis videatur hinc declarari vicinos esse, qui in eodem Regno vivunt, tamen propter rei varietatem, qui vicini sint, et qui in eodem Regno esse censeantur, id iudicabit Generalis Praepositus.

Saltem Provincialibus. Nam aliis an scribendum sit, id erit in arbitrio Generalis, atque adeo interpretari commode possumus relinqui iudicio ipsius, atque etiam aliorum Superiorum, quam frequenter rescribant suis subditis, modo non praetermittant scribere, ubi erit necessarium; et tamen quando non urgebit necessitas aliquando etiam scribant.

Quarti cuiusque mensis. Hoc facile possumus interpretari ex usu P. Ignatii, qui ex Collegio Romano voluit scribi, non quarto quoque, sed sexto quoque mense, quum initio fuisset usus quadrimestrium epistolarum. Intellexit scilicet crebrius fuisse scribendum de rebus gestis, ubi pauca erant collegia.

Quae solum ea. Et illa quidem breviter, ac compendio quodam, ita tamen, ut ne res aride et ieiune narrentur, sed aliquid gustus addatur.

Lingua vernacula. Hoc erit utile duplici nomine, tum ut nostri coadiutores temporales audire eas literas possint, ac legere etiam, si qui eorum legere sciant; tum etiam ut externi eas legere possint, si quae videbuntur externis communicandae. Intelliguntur vero hae vernaculae litterae scribendae, ubi possit illarum esse usus.

Provinciali ut mittant. Diligenter emendatum, si quid videbitur emendatione dignum.

Utraque lingua Generali. Ex eodem usu P. Ignatii intelligimus, ex illis tantum locis esse vulgari lingua mittendas epistolas, quibus locis communis est lingua cum eius loci idiomate, ubi Generalis habitat. Itaque ex Italia et Sicilia duntaxat erunt hae litterae destinandae. Nam fere Romae habitabit Generalis Praepositus.

Cum aliis suis literis. Hoc fere hactenus observatum non est a Provincialibus; et tamen non videtur dissimulandam, ut, quae ipsi scient praeter scripta a Praepositis et Rectoribus, ea curent saltem addenda litteris, quae ab illis scribentur.

Tot alia. Non habuit usus hactenus, ut tot exempla litterarum exscribenda a Provinciali, ac mittenda cu-

rentur, quot sunt in Provincia domus, vel collegia; sed unum tantummodo exemplum est missum ad omnia collegia, quasi per manus, altero reservato. Posset tamen indici, ut saltem utrumque semel curaret Provincialis exscribendum exemplum, et mittendum; et utile quidem esset, si in singulis collegiis ac domibus, quae essent insignia in huiusmodi litteris, eorum compendium retineretur, ut solebant litterae indicae exscribi integrae propter singularem earum utilitatem; et tandem curatum est, ut hae typis etiam excuderentur.

Si multum temporis. Integrum igitur erit ac liberum semper Praepositis et Rectoribus, suas quadrimestres litteras ad Generalem mittere, modo commodius id possint, vel certius; atque haec fuit consuetudo hactenus.

Poterit tamen Provincialis. Poterit quidem; sed tamen utilius erit, ac melius, ut omnes huiusmodi litterae, quae ad Generalem Praepositum non mittentur, ad Provincialem destinentur, quas possit purgare, ubi aliquid illi videatur non facere ad fratrum, vel publicam aedificationem: compertum enim est huiusmodi litteras lima fere atque emendatione indigere. Itaque quae hactenus Romam sunt missae, eas voluit Generalis non publicari, nisi a Secretario expurgatas.

Curabit Praepositus Generalis. Hic locus nil aliud necessario praescribit, quam ut Generalis curae incumbat peculiares litteras quadrimestres unius nationis ad aliam nationem transmitti. Id vero faciet, si ad quamlibet nationem, praeter eam unde mittuntur litterae, eiusque unum Provincialem, litterarum exemplar latinum transmittat; qui curabit tum suae Provinciae

dispensari, tum proximo etiam Praeposito Provinciali suae nationis mitti. Nationes vero designabit Generalis iuxta eiusdem idiomatis communionem; suae vero nationi quivis Provincialis communicabit eius nationis semestres. Quod si eo etiam onere volet Generalis levari, statuet tot litteras scribi semestres in domibus et collegiis, quot designaverit ipse nationes. Eas litteras curabunt Provinciales dari ad suam et proximas nationes, vel ad quas maiori compendio mitti possint; quod si ad Generalem destinentur, reliquas mittent Generali dispensandas.

Quum magnum. Cum frequens erit hoc commercium, facilis erit haec litterarum communicatio, ut est in exemplis, quae adducuntur. Sed non tantum in his, sed in tota natione facile possunt distribui litterae, quemadmodum modo est annotatum.

Qui in ea domo. Vel collegio, vel in missionibus versantur.

Perstringendo dotes. Hispanice est *partes,* quo nomine significatur ex linguae proprietate quicquid ad plenam notitiam cuiusque habendam pertinet. Sed quandoquidem erit admonendum in catalogis non solum de rebus manifestis, sed de secretis etiam quae extra confessionem scientur, omnia scribenda erunt. Erit igitur necessarium, ut duplex fiat catalogus, unus apertus, alius occultus, notis scilicet mysticis conscriptus. Scribentur igitur hi catalogi, sed posterioribus catalogis non oportebit ea repetere, quae superioribus continebuntur, sed illa tantum narrare, quae vel nova, vel mutata sunt. Erit vero commodum, si omnes eadem forma catalogi scribantur, ut colligari simul possint et ad usum esse aptiores. Sunt

autem hi catalogi ad gubernandam Societatem admodum necessarii, de quibus diligenter praecipitur sexto capite nonae partis Constitutionum.

Et Provinciales eodem modo. Non illos catalogos solum mittet Provincialis, sed, si quid praeterea censebit addendum, si quid de suis statuendum videatur, ad quod ipse non acceperit a Generali potestatem, id ad Generalem debebit referre. Tum illud non omittendum, quinam sint in Provincia, qui in coadiutores, qui in professos admittendi videantur. Quae dicta sunt de litteris scribendis, erant scripta ante decretum secundae generalis Congregationis, et sufficere quidem posse videntur, si ita censeat alia Congregatio ad Constitutionum interpretationem, iuxta decretum etiam secundae, ne abrogare necessum sit constitutionem. Tantum illud videtur difficile interpretatu, quod dicat constitutio quadrimestres literas et catalogos conscribendos, Congregatio vero secunda annales. Verum ne propter hoc quidem necessum esse videtur abrogare constitutionem; nam, ut iam vivens est interpretatus ad semestre P. Ignatius, nil mirum si rursum eam interpretetur Congregatio generalis ad annum, praesertim quum dubium non sit interpretationes fieri consentanee ad sensum P. Ignatii, qui facto suo declaravit, primum debuisse esse quadrimestres, suo dein tempore, ampliori iam Societate, semestres; quare in huius temporis amplitudine etiam annales.

IN DECLAR. II. CAP. VIII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Huiusmodi communicatio. Iuvabit haud dubie ad gubernationem Societatis haec per litteras, ac missas idoneas personas communicatio, et faciet quidem, ne videatur necessario statis temporibus esse cogenda generalis Congregatio. Verum, si rem ad praxim atque experientiam conferamus, videbitur etiam usus Commissariorum nationum in Societate confirmandus, non solum qui visitent, sed qui continuum gerant officium, etiam si dicatur eorum officium extraordinarium. Nam consensus Provincialium in iis, quae facile non possunt ad Generalem Praepositum referri, conservari vix aliter poterit; quae etiam ad universum Societatis corpus pertinent, facilius per Commissarium curabuntur; tum unio Provinciarum ad Generalem Praepositum. Verum providendum in horum designatione erit, ne hinc infirmior Provincialium fiat auctoritas. Pleno igitur iure exercebunt sua munera Provinciales, nec ea in re a Commissario pendebunt. Erunt vero capita rerum diserte exposita, in quibus capitibus respicere debebunt ad Commissarii facultatem. Haec communia sunt. Poterit tamen Generalis maiorem auctoritatem communicare Commissario, prout res nata vel necessitas exiget, vel personae sufficientia postulabit. Neque tamen videntur Commissarii ad indefinitum tempus designandi, sed ad triennium; et utile

quidem esset, si futurus Commissarius Romam ad Generalem vocaretur, delectus unus ex his, qui officio Provincialis essent defuncti. Facilius enim Romae imbiberet gustum unionis ac rerum universalium, tum instructior ad suum munus exercendum rediret.

Et personas. Hae eligendae videntur ex professis quatuor, vel trium votorum, vel ex coadiutoribus formatis: ita tamen, ut, ceteris paribus, praeponantur primum professi quatuor votorum reliquis omnibus; trium votorum professi simplicibus coadiutoribus.

Quae superiori annotatione continentur etiam si videatur secunda Congregatio infirmasse, si quis tamen attentius consideret, quod secundo loco tradit illud decretum, Commissarium intelliget, qui continuum et quasi ordinarium officium gerat, non visitatores tantum posse a Generali Praeposito designari, cum id, vel necessitas vel utilitas magni momenti pro re nata requiret; et tempus quidem, quo fungatur eo munere, similiter esse positum in arbitrio Generalis. Illud porro dubium non est semper esse causam, quapropter huiusmodi Commissarii constituantur, et quidem si ad praxim respiciamus, tertio quoque anno erunt mittendi Commissarii ad visitandum. Esto igitur unus, qui visitet Hispaniam universam; hic non absolvet suam visitationem ante biennium fere, quo tempore erit in primis utile Provinciis, ut ad eum de certis rebus referant Provinciales. Antequam vero decedat, necessarium erit ea, quae constituerit, confirmata a P. Generali, ut curet exequenda; dein ut veniat ad Praepositum Generalem rationem daturus de tota sua commissione. Non erunt haec consummata, quin transierit triennium; quo absoluto, rursum erit alia visi-

tatio instituenda, rursum mittendus Commissarius. Haec faciunt, ut semper fere sit futurus Commissarius, et quidem iuxta secundae Congregationis decretum. Neque vero utile est futurum, ut singularum Provinciarum sui creentur Commissarii visitatores, nam multiplicitas parere poterit varios usus in Provinciis, et variam rationem gubernationis, sed de his viderit Congregatio proxima.

Saltem unus. Etiam si videatur significari melius quidem esse, si plures mittantur, ut minimum autem unum esse mittendum; non est ita tamen, sed ad rem refertur illud *saltem.* Agitur enim in constitutione quod non habeatur Congregatio statis temporibus subdit declaratio *saltem unus mittatur*, qua phrasi potius significatur plures non esse mittendos.

Electus professorum. Non erit necessarium ad Congregationem provincialem coire, sed suis suffragiis missis absentes eligent, qui mittantur ad plura suffragia.

Possunt etiam. Poterit vicissim per hos missos Societas, vel Provinciales, et locales Praepositi intelligere, de Generali Praeposito quid sentiant Assistentes, tum de Assistentibus ipsis ex Generali, ut, si nihil aliud, solicitudo tamen in ipsis appareat, quae illis datur initio quinti capitis nonae partis Constitutionum.

Ad certiorem multis. Id fiet non solum ex iis, quae noverit, et retulerit, qui fuerit missus, sed ex literis simul, quas scribent Praepositi, tum Provinciales, tum locales, Rectores, Magistri probationum, et horum omnium Consultores; non hi solum, sed alii etiam quos rerum experientia et iudicio excellere intelliget Generalis Praepositus. Scribent omnes vero non solum

rerum difficultates, et dubia significabunt, sed in his quid agendum et providendum ipsi censeant, tametsi ius suffragii nullus habeat.

Eis, quos apud se. Assistentes primo loco; deinde Procuratorem Generalem; si quos etiam alios pollere iudicio censebit, hi etiam ad concilium adhiberi poterunt. Secunda generalis Congregatio non abrogavit quidem, quae hactenus in his Declarationibus dicta sunt de hac persona ad informandum Generalem mittenda; sed fecit ut illa quatuor votorum professus sit, qui munus illius informatoris obiret, nec alium sit necessum mittere; expressit vero, ut sit ille professus a provinciali Congregatione electus, et adiunxit aliud primarium munus. Intellexit vero priorem rationem a nostris, qui versantur in Indiis, usurpari posse, ut hactenus factum est, etiam si professum debeant mittere, sed qui non possit dicere suffragium ad Conventum generalem congregandum, nisi eodem tempore professus ille Romae adesset, quo alii Europae Procuratores.

Praepositi Generalis erit. Solus hoc poterit quidem definire Generalis, sed, ut in re gravi, id non faciet, nisi prius consultis Assistentibus, quod ita ei praescribit constitutio ultimo capite nonae partis. Provincialium item si ea de re sententiam audiret, consultius ageret ac securius.

Ut qui assistunt. Quandoquidem refertur hic locus ad nonam partem, ex qua Congregationem intelligimus generalem absque Generalis Praepositi voluntate cogi posse in eo duntaxat eventu, cum de abrogando Generali agendum est; nihil est quod hinc novam facultatem faciamus Assistentibus et Praepositis, praeter

eam, quae illic instituitur. Nam, si inutilem esse vel remissum accideret Generalem propter gravem infirmitatem vel senium, et Coadiutor illi vel Vicarius esset adiungendus; non est propterea congreganda Societas, sed illum eliget Generalis, et si eligere nolit, vel non possit, eligent Provinciales Praepositi et locales, ut eodem capite statuitur. Neque vero inutilitatis vel remissionis causam voluntariam voluit Congregatio generalis prima animadverti, propter quam dari posset Vicarius Generali; sed si qua correctione egeret, id intelligimus fieri per Assistentes posse verbo, re autem, ubi esset generalis Societas congregata per designatos a Congregatione Patres. Quod si, quod Dominus avertat, praeter illos casus, propter quos abrogari potest Generali magistratus, alia committeret peccata gravia Generalis, vel alioqui Societatem in alium spiritum ac rationem Instituti traduceret, vel Assistentibus nollet in his, quae ad personae suae cultum attinent, obedire, vel eos in rebus gravioribus nollet consulere, vel convocare generalem Congregationem renueret ad res eas transigendas, ad quas non potest solus, ut ex diplomatis Apostolicis etc. colligitur: in his, et aliis id genus, etiam si ordinario iure Constitutionum non possit Societas in illum animadvertere, potest tamen, et debet iure charitatis curare, ne detrimentum patiatur Societas, et legem fraternae correctionis exercere, et Assistentes, et Provinciales, et alius quivis. Sed Assistentes maiori cum auctoritate, et efficacia, et id quidem vel privatim, vel communi multorum Provincialium consensu. Quod si illos non audiret, esset ad Sedem Apostolicam deferendus Generalis, et res tota. At vero post secundam generalem

Congregationem nulla erit in his rebus difficultas. Nam qui professi a singulis Provinciis mittentur, investigare ac decernere poterunt ac debebunt, an sit congreganda Societas, quae de Generali etiam ipso iudicare possit.

IN DECLAR. III. CAP. VIII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Qui supremam in Societate. Is erit, quando propter mortem Generalis congregatur Societas, Vicarius; alias Generalis ipse, nisi si fiet Congregatio ad illius abrogationem. Tunc enim non habebit unus supremam auctoritatem ad Congregationem evocandam, sed ea erit vel quatuor Assistentium, vel trium, vel etiam Provincialium, si causae depositionis erunt publicae, et passim manifestae. Ubi igitur erit auctoritas congregandae Societatis, ibi erit facultas huius iudicii, num sint venturi ad Congregationem professi trium votorum, vel coadiutores etc.

Vel Coadiutores nonnulli. Ne propterea collige, professos trium votorum non dici, ac esse coadiutores, quod hic videantur ab huiusmodi professis seiungi coadiutores. Nam constat, hos professos et esse, et dici coadiutores, quemadmodum in declarationem primi capitis quintae partis Constitutionum adnotatum est: igitur seiunctim explicantur, ne si professi trium votorum soli nominarentur, viderentur simplices coadiutores excludi. Contra si soli coadiutores, putaret

quis non etiam intelligi professos coadiutores. Possunt igitur eligi et professi coadiutores, ac simplices. Quamvis autem professi coadiutores sint ex ratione status simplicibus praeponendi, non tamen ad eos spectabunt semper electores, ut locus esse videatur relictus simplicibus coadiutoribus. Porro, de quibus in his declarationibus agitur mittendis, praeter tres, ad generalem Congregationem, non est hoc loco expositum, nisi quod ex Constitutionibus videntur ii posse eligi a Provinciali; addidit secunda Congregatio, ut etiam possint a Congregatione provinciali. Verum, quum hoc sit situm in arbitrio eius, qui congregat Societatem, is semper debebit iubere, ut a Congregatione eligantur; et tamen esset operae pretium, ut idem praescriberet tertia generalis Congregatio, quod tandem fecit per formulam Congregationis provincialis.

Hoc enim aliquando. Nam, ubi nihil omnino esset in generali Congregatione tractandum, praeterquam Generalis Praepositi electio, ibi non esset cur advocarentur coadiutores: quod nunquam, opinor, futurum est. Nam, ubi etiam pro eligendo Generali convocatur Societas, erunt semper quae tractentur post electionem negocia. Igitur illud aliquando haud dubie fiet semper; nam erit semper conveniens, ut de rebus gravioribus post Generalis electionem sit agendum: et tamen semper manebit *aliquando,* si quando fortassis non sit illud conveniens.

Si Rectores collegiorum. Videntur quidem ex coadiutoribus praeferendi, qui hic recensentur, non tantum, quod suorum officiorum teneant, et possint reddere rationem, sed quod in his sint coadiutorum functionibus versati, quae ad gubernationem attinent. Unde et

iudicium erunt consecuti in his rebus, de quibus est in Congregatione agendum. Hos autem non est necessarium, si ad Constitutiones spectamus, tanquam Procuratores Provinciarum admitti: neque hanc auctoritatem in Congregatione eos obtinere, ut legitimi Procuratores Provinciae sint, est Societati vel Congregationi operae pretium. Nimia enim videretur illa facultas, ac minime necessaria, cum intersit Congregationi Provincialis, et duo quatuor votorum professi, qui Provinciae vices gerunt. Quod igitur in actis posterioribus primae Congregationis generalis dicuntur admissi Procuratores Provinciarum, propterea intelligamus procuratores appellatos, quod essent ad Congregationem de negociis Provinciae relaturi sive publicis, sive privatis, non quod aliam haberent facultatem nomine totius Provinciae, nisi communem cum electoribus eius Provinciae.

Atque alii officiales. Graviores intellige, quales sunt Magistri probationum, ministri Universitatum, Cancellarii, Secretarii, Commissariorum vel Provincialium; tum horum consultores.

Quae ad ipsorum officia. Hinc colligere licet, hos propter negocia ea evocari, quorum cognitionem habent et usum; in quibus proinde iudicio et consilio valebunt.

Possent etiam. Hinc plane videri potest facultas suffragii solis iis coadiutoribus dari, qui sunt officiales. Quod si de suffragio activo intelligeretur, non esset admodum alienum, tametsi grave videretur, professos arcere ab activo suffragio, et illud coadiutoribus simplicibus dari, qui inferius etiam gerunt officium, quam Rectores et procuratores. De passivo autem suffragio maior multo est difficultas. Nam, si soli officiales ha-

bere possunt passivum suffragium, soli ex coadiutoribus ipsi poterunt eligi in officiales a Congregatione; soli eligi, ut gerant ministeria Societatis alia, quae velit committere Congregatio. Haec quum ita sint, necessarium videtur locum ita interpretari, ut, quemadmodum paulo ante dicitur, ex professis, et coadiutoribus eos praesertim esse vocandos qui sunt officiales; ita hi officiales praesertim habeant hanc facultatem suffragii, non ita tamen, ut excludantur alii. Ceterum, quod legimus, *poterunt,* non indicat non habere coadiutores ad Congregationem vocatos illam facultatem, sed esse a Congregatione cooptandos, et recipiendos in Congregationem, quod ubi factum fuerit, ibi facultate uti poterunt. Nec colligere licet, posse Congregationem circumscribere, quibus in rebus sint suffragium habituri. Nam suffragium hi habent, quale constitutio illis dat, et quod confirmatur inferius sexto capite, § 4.

Activum, et passivum. In iis Congregationibus, quae habentur de aliis rebus, non de Generalis electione; nam illis adhiberi tantummodo possunt.

Ad reliqua habere. Non omnia intellige; non enim in his, quae spectant ad rationem electionis praeparandam, antequam de illa agatur, suffragium coadiutores habebunt; quo fiet, ut fortassis aliquando addantur alia, in quibus suffragium non habeant simplices coadiutores, ut in Constitutionibus abrogandis, vel edendis, quibus Generali etiam ipsi praescribitur. Postulat enim ratio religiosae Congregationis, ut ad ea, quae instituti aliquam partem vel augent vel abrogant, ii tantum facultatem habeant et agere possint, qui perfecte sunt illi Congregationi coniuncti, quod non sunt simplices coadiutores; habent enim simplicia vota, prae-

sertim cum, ex statu, iudicio in illis rebus non valeant. Adde, non esse e dignitate Societatis, ut leges habeat ab his, qui dimitti possunt, et votis solvi, et fieri saeculares. Praeterea, qui suffragium vel neutrum, vel certe passivum, habere non possunt, si quis eligendus sit, qui domibus professis praesit, quomodo consentaneum est, ut in his suffragium habeat, quae et professis omnibus et Generali ipsi Praeposito legem ponunt? Quocirca simplicibus coadiutoribus an debeat dari ius suffragii in his, quae diximus, censebunt posteri nostri; in reliquis concedi potest. Coadiutoribus vero professis hoc ius dari posset, praeterquam in iis, quae ante Generalis electionem erunt decernenda.

Praeterquam ut professis. De passivo tantum suffragio intelligendus locus videtur, et tamen non est praecisa exceptio; nam sunt alia, in quibus neutrum possunt habere suffragium hi coadiutores, ut in electione Assistentium, Praepositi Generalis, nec in electione Admonitoris passivum, tametsi in huiusmodi electione habent activum. Verum, quid fiet, ubi sint in collegio, cui praeest coadiutor, professi ad ministerium necessarii? hi exempti non erunt, sed ex commissione illis etiam praeerit coadiutor. Alioqui locum hunc interpretari possemus, ne coadiutor simplex possit praeesse domibus professis: nam quod in collegiis, professis possit praeesse coadiutor, tunc dictum esse censeri debet, ubi toties professos habitare posse in collegiis dixerunt Constitutiones: et tamen in tertia Congregatione res est decreta.

Si possit. Quis tamen hoc iudicabit, an impediatur Provincialis, ne venire ad generalem Congregationem possit, recte est annotatum in Constitutionibus, ut id

iudicet Congregatio provincialis, ubi illos eligit, qui sunt ad generalem Congregationem profecturi. Neque mirum, si hac in re detur auctoritas Provinciae, quae solius esset Generalis, vel Vicarii, si praesentes adessent. Neque enim Provinciali committi de se iudicare in re gravissima, caret dubitatione; quod rei eventus nobis in prima generali Congregatione indicavit, cui suo consilio tres Provinciales abfuerunt. Qui tamen ipsi substituatur in gubernatione Provinciae, commodius ac certius eligere Provincialis poterit, qui facilius cognoscet, et diliget eum, qui similiter sit Provinciam gubernaturus atque ipse; diversitas enim gubernationis est omnino vitanda a substituto.

Mittere non possint. Ad Generalis electionem nullus absens suum suffragium mittere vel debet, vel potest; quod adeo est manifestum, ut dici non oportuerit; et tamen interrogatus ea de re Paulus IV dum ageretur Congregatio generalis prima, respondit non esse admittenda absentium suffragia. Nam id nil aliud induceret, quam impuritatem electioni intolerabilem. De aliis igitur rebus hoc loco agit declaratio, de quibus poterit quivis scribere, quid sentiat in utramque partem. Id tamen non recipietur pro suffragio: sed, ut est liberum cuivis, de quibus volet, ad Congregationem referre, sive publicis de rebus, sive privatis; ita de his, quae sciet esse in Congregatione tractanda, sententiam in utramque partem poterit suis litteris aperire per electos. Non enim magis his licebit, quam illis, qui suffragium habent in Congregatione. Adde, quod parere haec ratio posset multa praeiudicia, antequam de re ipsa ageretur in Congregatione. Nec debet de his litteris, quae ad Congregationem mittuntur, scire Provin-

cialis, quo maior libertas constet toti Provinciae repraesentandi Congregationi generali quicquid libuerit. Quod potuit hoc loco desiderari, ut exponeretur, num sint Commissarii ad Congregationem venturi generalem, id exposuit Congregatio prima generalis.

IN DECLAR. IV. CAP. VIII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Si nullus ex professis. Hoc vix tandem fieri posse annotavimus in Constitutiones hoc loco. Constat autem ex hoc loco, non esse integrum Generali, ex vicinis eligere Vicarium, nisi ubi nullus aderit ibi praesens professus, quem eligere possit iuxta suam conscientiam.

Ex vicinis. Sunt habendi vicini, qui proximi degunt.

Si tamen. Hinc est apertum, quod in Constitutiones annotavimus, esse legem datam Generali, ut eligat ante mortem Vicarium; nec fungi ipsum suo officio, si sua voluntate, ac non potius necessitate, omittat Vicarium eligere.

Qui apud eum fuerint professi. Intellexit P. Ignatius professos quatuor votorum, ut in omnibus locis, ubi nihil mutavit post annum millesimum quingentesimum quinquagesimum, quod superius annotavimus. Est autem hoc rationi consentaneum et Instituto. Nam quarto capite nonae partis eligunt Vicarium professi quatuor votorum, vel Generalis; et quinto capite nullum habent suffragium coadiutores in electione Assistentium. Haec quum ita videantur, dixerunt tamen

suffragium professi trium votorum in electione Vicarii, mortuo P. Layne Generali Praeposito. Videtur haec indulgentia fuisse; et censeo rem ad proximam Congregationem referendam, ut alia multa. Illam tamen indulgentiam secuti non sunt Patres in electione Vicarii, mortuo P. Francisco; sed professos quatuor votorum duntaxat admiserunt.

Sed in vicinis fuerint. Aucta iam Societate, nihil erit cur vicinis sit utendum. Quod si quocunque casu ad vicinos esset accurrendum, aliquo numero non adeo grandi essent e vicinioribus locis Societatis evocandi. Hunc numerum postea definivit Congregatio secunda et tertia; quo rursum fiet, Christo propitio, ut nunquam vicini sint vocandi.

Pluribus suffragiis. Nullus hic duo suffragia habebit, nullus praerogativam; neque erit necessum, ut plura, quam medietatis, suffragia eligant, sed quae erunt maiori numero simpliciter, ut simpliciter sonat exemplar hispanicum et versio latina. Nec secunda Congregatio quicquam addidit; tertia ad medietatem suffragiorum astrinxit in officio Vicarii, non tamen declarationem abrogavit. Itaque proxima electione Vicarii erit integrum sequi declarationem.

Eligent. Statim, nullo interiecto tempore, nisi quod necessario videbitur in informatione ponendum, quod est diligentissime curandum, ne sit Societas absque Superiore et aliquid detrimenti accipere possit. Porro ab omnibus, qui mortuum esse Generalem intelligent, fient orationes, a sacerdotibus etiam sacrificia, ad rectam electionem Vicarii. Idem impensius facient electores, omnique cum sinceritate ac pietate eligent, quem iudicabunt ad id munus esse aptissimum. In

suffragiis autem, si fuerit paritas, ut si paria suffragia nominent diversos; qui erit inter congregatos professos antiquissimus, hic debebit unum ex illis nominare, quem volet; is enim censebitur, et erit aptissimus. Erit autem informatio brevis inter electores accipienda, non dissimilis atque in electione Generalis, ne temere videatur illa electio fieri.

Qui praeest domi. Huius erit auctoritas et iurisdictio convocandi professos ad eligendum Vicarium. Hic item praeerit illi Congregationi, atque electioni. Aliam nullam habebit novam auctoritatem, sed eo temporis spatio, quo Vicarius non erit designatus, per suos ordinarios Superiores gubernabitur Societas, quasi ex Aristocratia.

Congregentur. Eo unde convocantur; nam extraordinarie fiet, si alio, nisi extraordinarius sit locus unde evocantur.

Vel ad eum agnoscendum. Non quod illorum sit iudicare, an sit Vicarius is, quem constabit legitime esse electum a Generali, tum ut illum suscipiant pro Vicario, illique praestent obedientiam. Possunt etiam, qui convenient, examinare, num electus sit a Generali, qui electus dicitur.

IN DECLAR. VI. CAP. VIII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Ut suffragio. Activo scilicet et passivo.

Qui possit. Non is solum, de quo agit Constitutio, sed ii etiam, ad quos extendit excommunicationem

Congregatio prima in actis prioribus; quam extensionem probavit postea secunda generalis Congregatio, et tertia.

Suspicionem tantum valde probabilem. Ea est, quae dicitur vehemens; qua comperta, non esset admittenda purgatio aliqua canonica; sed legitima illa suspicio sufficiat, ut nec active, nec passive esset quis ad eam electionem idoneus.

Removendus quidem ab ea. Ante inclusionem videlicet. Haec agenda, et transigenda sunt omnia; nam qui includuntur legitime, omnes censebuntur electores. Ad puritatem autem electionis, et perfectionem pertinet, ut suspicio vehemens sit satis ad excludendum a praesenti electione: iustitia vero et aequitas requirunt, ut sit postea locus legitimae purgationi, et purgatus admitti ad aliam electionem possit. Verum, si denuo in similem suspicionem incideret, non esset amplius locus, ut in electorem designari posset.

Ad quem pertinet. De ambitu quidem aliorum est ad Vicarium referendum. De Vicarii ad duos antiquissimos professos, vel ad antiquissimum Provincialem pro deferentis arbitrio, ut dixit Congregatio prima in actis prioribus, quod confirmavit secunda Congregatio generalis, et tertia. Hac autem § et sequenti, qui sint futuri in ea delatione iudices, definitur. Non enim erit ille solus, ad quem res erit delata, nec tota Congregatio, sed nominati iudices a Congregatione, iuxta hanc Constitutionem. Non enim videntur hi a solo Vicario eligendi.

Et condemnatio ut minimum. Liberatio etiam tribus saltem suffragiis constare debet. Nam, si duo illum liberant, alii duo damnent, hic non erit quidem con-

demnatus, sed videtur pro suspecto habendus, et a praesenti electione arcendus, ut de cuius innocentia non constet. Iam si aliquis ex iudicibus dubii sit animi, ut nec condemnare audeat, nec liberare, huiusmodi unum suffragium si accedat ad duo, quae damnant, faciet vehementiorem suspicionem; sin ad duo, quae liberent, postulat aequitas ut liberetur. Si vero ad duo dubia, faciet etiam suspectum, et privabit suffragio.

Vel aliquis ex antiquioribus. Si Vicarius, vel si quis ex iudicibus futuris notaretur nimis favens vel contra; ex aliis, qui sequentur antiquioribus, erunt assumendi iudices, illis exclusis, qui notabuntur.

Professi quatuor votorum. Hi solum suffragium habent activum et passivum in electione Generalis Praepositi: soli etiam hi sunt ad Congregationes, quae sunt habendae ante electionem, admittendi; nam alii si admittendi ad Congregationem sint, id erit duntaxat post Generalis Praepositi electionem, ut eadem hac § dicitur. Animadvertendum vero est post confirmationem actorum priorum primae Congregationis generalis, quae necessum est in proxima Congregatione examinari, et confirmari, nihil esse ante electionem Generalis Praepositi agendum in Congregatione, nisi si quid fortassis ad eam electionem ita urgeat, ut praetermitti absque singulari detrimento non possit. Tantum erunt faciendae electiones Secretarii etc. Postea in secunda Congregatione generali ante electionem fuerunt examinata acta primae Congregationis priora, et in iis nonnihil emendatum; dein post electionem fuerunt in ipsa emendatione tria capita mutata, et coniuncta utriusque Congregationis acta priora, data illis auctoritate ad primam saltem Congregationem;

postea in tertia confirmata acta ex tribus Congregationibus in futurum.

Si professionem trium votorum. Hunc locum necessum est intelligere iuxta ea, quae in declaratione tertii capitis huius partis constituta sunt et annotata; ex omnibus quidem coadiutoribus spiritualibus formatis, sive trium votorum solemnium, sive simplicibus posse et eligi qui mittantur ad Congregationem generalem, et in ea habere suffragium; in his tamen praecipuos esse eos, qui officium gerunt in Societate. Nam, quod hoc loco deferri videtur suffragium hoc ad Rectores et Praepositos locales, non ad hos solos intellige, sed ad hos praecipue. Quod vero dicitur: *si professionem trium votorum emiserint*, non est referendum ad Praepositos locales, sed ad Rectores, qui erunt coadiutores, vel trium votorum solemnium, vel simplices. Nam Praepositos locales necessarium est professos quatuor votorum esse.

In his quae ad electionem. Non de his solum, sed de his praecipue prohibitum intelligitur colloquium; omne enim colloquium privatum operae pretium est esse interdictum, ut omnis occasio, et species mali abscindatur, vel offendiculum: quod accideret, si liberum esset privatim colloqui aliis de rebus, quam quae ad electionem attinent. Igitur omnia intelliguntur colloquia esse debere publica coram tota Congregatione, et quidem nullum intercedet tempus, quo vacet aliis de rebus colloqui, quod compertum est ex ratione scrutiniorum et compromissi, de quibus est superius annotatum.

Omnes, qui in loco. Haud dubie de professis electoribus locus est interpretandus; quam interpretatio-

nem sequuta est Congregatio prima in electione secundi Generalis.

Qui duo habuerint. Quid si singuli suum nominent? ibi valebit Vicarii praerogativa; quem enim ipse designaverit, is Secretarius erit, vel Assistens.

Propter defectus ad hanc. Ut nullus sibi persuadeat se fore Generalem, si malis artibus eum gradum est consecutus: ubicunque enim convincetur legitime, officio deiicietur.

Illum eligo, et nomino etc. Prius est enim apud se eligere, deinde nominare; unde emergit electio plena coram Societate.

Quem sentio. Idest iudico; non enim attinet ad sensum spiritus, ut iurem me non eligere absque illo sensu, sed ad rationem saltem et animi sententiam.

Aptissimum. Hunc locum, et plerosque, qui hoc capite residui sunt, consulte in prioribus actis Congregatio prima generalis exposuit; quos postea complexa est secunda Congregatio in prioribus item suis actis, et tertia.

Cum Assistentibus. Cum Secretario, et Assistente.

Et qui plura. Haec suffragia nullam habebunt praerogativam vel Vicarii, vel Provincialium, quandoquidem spectant ad electionem Generalis proprie. Eligentur autem quinque scrutiniis hi electores, non uno, quo numero dixit Congregatio prima eligendos. Confirmavit secunda, etiam si non extet decretum; similiter eligit prima Congregatio Assistentes: secunda etiam: tertia hos et definitores; non enim uno scrutinio singuli quinque compromissarios electores nominabunt, sed quinque. Quod si in scrutiniis paritas accidat suffragiorum, quae impediat electionem, veniatur ad compromissum;

et fiat, quemadmodum in eundem hunc locum Constitutionum annotatum est in paritate compromissorum esse agendum.

Poterit Vicarius. Non habebit quidem auctoritatem Vicarius post electionem ferendi censuras ecclesiasticas, ac ne Vicarius quidem erit; sed propterea de Vicario hic agitur, ut ne de facto quidem possit aliquis tergiversari. Nam feret in illum censuras Generalis quidem legitime; quem si neget id posse, cogetur tamen Vicario obedire, quem negare non poterit eam habere facultatem, et quidem in eo eventu illam ei tribuit Constitutio.

IN DECLAR. VII. CAP. VIII. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Hoc tamen observabitur. Hic quidem ordo est servandus, dum proponuntur in Congregatione res, vel negocia tractanda; sententiae tamen sunt dicendae non eodem ordine, sed illo, quo sedent Patres. Sedebunt enim primo loco, si qui erunt, reliqui Patres ex iis, qui in Societatis confirmatione Pauli III et Iulii III nominantur, et Congregationi intersint; quod prima Congregatione factum est: secundo Assistentes, non ita tamen, ut simpliciter praecedant Provinciales, sed illos praecedant, si quidem sint antiquiores professi, ut est annotatum in Constitutione; et hoc quidem postea constituit secunda Congregatio de officio defunctis Assistentibus, ut superius est annotatum: tertio Praepo-

siti Provinciales: quarto professi quatuor votorum: quinto loco professi trium votorum: sexto simplices coadiutores. Servabitur autem ordo in singulis ordinibus iuxta antiquitatem professionis, vel editionis votorum; ita tamen, ut primo, quarto, quinto et sexto ordine, qui geret aliquod officium, is simpliciter in eo ordine praeferatur ei, qui nullum geret officium. Fiat praeterea ex ratione officiorum praelatio, ut Superintendens praeferatur Rectori, Rector Procuratori etc. Haec partim in prima Congregatione ex actis prioribus confirmata sunt, partim in secunda decreta vel usurpata sunt.

Qui sub nullo Provinciali. Quod contingere poterit de iis, qui sub obedientia vel Summi Pontificis, vel Generalis Praepositi versantur in missionibus, vel omnino exempti sunt. Et tamen vix fieri poterit, ut hi eligantur ad Congregationem; non enim poterunt nisi a Papa, vel a Generali Praeposito ad Congregationem designari, et hic non deberet extra ordinem evocare quemque; qua de re superius in tertio capite Constitutionum huius partis annotatum est.

IN DECLAR. I. CAP. IX. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Quam in saecularibus. Eligitur ad vitam Imperator, Reges, ac Principes; nam posteriores, etiam si non eligantur in se, electi tamen sunt in electione familiae, quae ad Regnum, et Principatum electa est, quae est maior electionis perpetuitas.

Quia magis omnibus sit notus. Iuvat haec ratio auctoritatem Generalis, sed cum aliis gravioribus coniuncta, quae hoc capite et in Constitutionibus attinguntur, ex quibus vim accipiat.

Constat. Spe quidem nostra constat; faxit Christus, ut secundum spem nostram fiat nobis.

IN DECLAR. II. CAP. IX. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Reliqua. Hinc intelligi potest esse alia, quae animadvertenda sunt in electione Generalis Praepositi, et in eo vel desideranda, vel evitanda, de quibus aliquid hoc capite in Constitutionibus attigimus; et quamvis illorum reductio ad sex capita esse videatur difficilis, non est tamen, si quis paulo attentius advertat.

Et iuxta ordinem. Ratio huius ordinis et momentum, tametsi observari debet, non tamen ita districte ligat, ut in electione Generalis non possint electores suo iudicio uti, ubi ex hoc ordine unus videretur alii conferendus; praesertim cum impedimenta sint in primo loco animadvertenda, ut diximus, et fieri possit, ut aliquis aliquid e prioribus habeat, posterioribus omnino destituatur; tum inaequalitas rerum illarum facere potest, ut posteriora aequentur vel etiam praeferantur prioribus. In universum igitur posita sunt illius ordinis momenta, ad quae etiam spectandum sit in universum. Particularia particulari prudentia sunt gubernanda.

Nec valde iuvenilis. Certum est, iuvenem eligi Ge-

neralem non posse, si proprie de iuventute loquamur, multo minus valde iuvenem; sed iuventutem interpretari oportet aetatem virilem. Haec enim, et gravior etiam, in Generali desideratur, et quae ad senium vergat potius. Aetas enim senectutis, etiam si e canis censenda non est, tamen qui prudentia valuit, et auctoritate iuvenis, idem senex, nisi animum remiserit, quanto erit praestantior!

Possint sufficere. Non dicitur possint, quasi aegre illa absque his sufficiant, cum et illa unice sufficiant, et haec externa sint accidentia non necessaria. Itaque vice plenae affirmationis est locus accipiendus.

IN DECLAR. III. CAP. IX. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Alicui, cui perinde. Et hoc quidem non erit necessum, ut faciat Generalis, nisi fortassis in Indiis, ubi si Provinciali non possit, quemadmodum sibi ipsi, confidere, poterit sic dari commissio Provinciali, ut ex suffragiis Rectorum et Professorum suae Provinciae possit professio concedi; tametsi videatur non adeo difficile futurum, si expectetur a Generali approbatio. Nam certum est triennio eam haberi posse in expectatione; alioqui fere nullum erit detrimentum.

Hanc potestatem. Accipit potestatem Generalis ex diplomate confirmationis declarandi, quae dubia esse poterunt in nostro Instituto; quae declarationes si Constitutionum vim habere debeant, ut quae hactenus

editae sunt, et Constitutionibus adiunctae, eas non potest Generalis edere absque Congregatione generali; alias solus potest. Accipit praeterea potestatem hoc loco Generalis a Societate, ut possit quidem dispensare in Constitutionibus in universum, sed magna moderatione, omnibus circumstantiis circumspectis, ubi iudicet in Domino hanc esse Societatis intentionem, ut non liget tunc Constitutio vel omnino, vel ex parte. Sed illud est advertendum, ut dispensatione nonnunquam utendum est, et vis legis ex circumstantiis remittenda; ita nonnunquam vis obligationis, et districtio augenda pro rerum, temporum ac personarum circumstantiis. Animadvertendum vero, ne ex frequentibus dispensationibus consequatur dissolutio disciplinae religiosae, et vulnus aliquod grave Institutum accipiat. Contra vero ne propter rigorem nimium suavitas gubernationis desideretur, et affligantur boni nostrorum spiritus. Haec igitur cum sit potestas universalis data Generali, non intelligitur tamen Generalem in omnibus Constitutionibus dispensare posse, quo in genere sunt ea, quae ad suam personam attinent, et Assistentibus a Societate sunt commissae; tum ea, quae non solum Constitutionibus sunt sancita, sed auctoritate Apostolica confirmata. In iis item dispensare non poterit, quae ad Congregationes generales spectant, et quae cum substantialibus Instituti sunt coniuncta, ex quorum scilicet dispensatione Institutum vel Societatis, vel alicuius partis, vel collegiorum, domorum etiam, aut professarum aut probationis etc. detrimentum pati videretur; neque vero in iis, quae ad paupertatem attinent, et vota illa simplicia, quae professi edunt post professionem. Erunt alia praeterea, in quibus vel dispensare

non poterit Generalis, vel non debebit: erit autem Assistentium, et eius praecipue, qui curam habebit admonendi Generalem, advertere, ne laxus sit nimium Generalis in dispensationibus, vel alioqui rigidus supra modum.

Per alios in casibus urgentioribus. Quod hoc loco tam difficulter potestatem dispensandi per alios debere Generalem exercere constituitur, intelligendum est de universa potestate dispensandi; alioquin ordinariam accipient in suis collegiis Rectores commissionem a Generali per Provinciales, ut in suis collegiis dispensationibus utantur, quemadmodum ex declaratione decimi capitis quartae partis intelligitur. Similis dabitur Praepositis localibus et Praefectis probationum commissio, sed his communicabitur restricta facultas, rebus scilicet, quae videbuntur, exceptis; Provincialibus ac Commissariis maior dabitur commissio, sed tamen ne his quidem dabitur in rebus omnibus, nisi ubi res urgerent vehementer, vel si illa facultas daretur ei, cui perinde ac sibi confideret Generalis.

In quibusdam casibus. His initiis Societatis casum esse aliquem oportet, idest urgentem necessitatem, vel opportunitatem singularem ac magnam expectationem fructus, si aliquis ad puros infideles sit mittendus. Nam fere qui ad illud ministerium essent destinandi, sunt ad fundationem collegiorum, et domorum, tum ad Societatis gubernationem necessarii. Dabit Christus Iesus de misericordia sua infinita tempus, cum tanta erit optimorum operariorum copia, ut frequentes possint ad infidelium conversionem mitti: nunquam tamen id fiet, nisi cum magno delectu, prudentia ac spiritu.

Hoc sicut alia multa. Multa, quae suae sunt iu-

risdictionis ex Instituto, potest Generalis, et per se, et per alium sive immediatum, sive mediatum facere. Itaque potest delegare, et per alium subdelegare. Erunt tamen, quae nullo pacto convenient alii per alterum subdelegando committere; et, ut compendio de his dicatur, aliqua ex his, quae hoc capite enumerantur, non poterit Generalis per alium, alia non debebit, alia et poterit et debebit. Non poterit per alium superintendentiam in Societatem, et collegia, universalem exercere, nec facultatem congregandi Societatem alteri dare, nec licentiam adeundi dignitatem extra Societatem etc. Ut ipse potest, non debebit aliis committere ut ad professionem admittant, vel certe dimittant a Societate professos, vel etiam coadiutores formatos; non ut alii universaliter dispensent in Constitutionibus; non creandi simpliciter Provinciales, vel Rectores et Praefectos probationum; non eligendi Secretarium, et Procuratorem Societatis; nec collegia, et domos recipiendi; non infirmandi quae gesserint Praepositi vel Commissarii. Reliqua fere poterit per alios, et aliquando debebit; in iis autem, quae ad facultates a Sede Apostolica acceptas attinent, id solum poterit, quod concessum ipsi fuerit.

Quamquam poterit. Non solum poterit, sed debebit etiam Assistentes consulere, ut sexto capite huius partis constituitur.

Quos iudicaverit. Assistentes necessario consulet, ut dictum est, quos illi deputat Societas Consultores. Alios item poterit consulere, sed pro suo arbitratu eliget, et consulet.

Erit in eius potestate. Quae censentur graviora, ut Constitutiones condere vel immutare, vel collegia, et

domos semel erectas alienare vel dissolvere, in his nil potest solus Generalis, tum in his, quae sibi reservat Societas, et committit Assistentibus et Generalis Admonitori; in aliis, quae ita magni momenti non sunt, solus potest definire, ut in confirmatione Societatis legimus. Interpretari tamen possumus, si quid contingeret, quod momentum graviorum rerum illarum vel aequaret vel superaret fortassis, in eo non posse solum Generalem; et hi quidem erunt eventus, in quibus cogetur vel Congregationem generalem indicere Generalis, vel eos, qui ius habebunt suffragii consulere, et ad plura suffragia definire. Iudicium vero harum rerum erit quidem Generalis; sed ita tamen, ut, si quid eveniret, Dominus id avertat, quo evidens aliquod crearetur periculum Societati vel detrimentum afferretur, vel eius Instituto, et admonitus Generalis legitime, nollet tamen congregare Societatem: esset deferendus ad Summum Pontificem, et cogendus, ut indiceret Congregationem pro reformatione Societatis. Qua de re iam est in superioribus annotatum. Poterunt etiam tales res contingere, quae etiam si non omnino videantur Generali aliorum suffragia decisiva desiderare, tamen ipse ita Assistentium accipiat sententias, ut a maiori eorum parte non discedat, etiam si non teneatur. Quamvis tanta sit affutura gratia Generali, tanta lux divinitus, modo sibi et officio non desit, ut plus sit ipse solus perspecturus, plus provisurus, melius consulturus, certius definiturus, quam omnes Assistentes, vel alii quivis Consultores, in iis duntaxat, quae ad ipsius solius definitionem spectabunt, modo non omittat humana media adhibere, et in his consilium audire Assistentium, et, ubi videbitur, etiam alio-

rum, qui loco lucis ipsi erunt ad veritatem perspiciendam et eligendam. Magnanimitatem igitur Generalis concipiat singularem, et profundam humilitatem in Christo Iesu, ex gratia vocationis; et definiat, adhibita, si res poscere videatur, ratione eligendi, quae in exercitiis tradita est, vel si quid Dominus illi perfectius dederit.

IN DECLAR. IV. CAP. IX. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Exercebit eam per Assistentes. Quemadmodum vero sit exercenda, id proximo capite Constitutionum et Declarationum exponitur. Esset vero operae pretium in Congregatione generali Societatem praestituere modum earum rerum, quae ad personam attinent Generalis; rationem scilicet victus, vestitus, cultus, servitii etc. quam rationem sequerentur Assistentes, et pro regula sui officii haberent. Hanc vero rationem facile esset accipere, ex P. Ignatii et P. Laynez exemplo; videtur tamen adhibendus Generali unus sacerdos, qui illi esse possit loco peculiaris secretarii et scriptoris.

Sine approbatione Societatis. Hoc explicatur in annotationibus Constitutionum huius loci.

Nec Societas approbabit. Hispanice omnino gravius statuitur. Est enim: nec Societas approbare videlicet debet, vel potest. Itaque facultas adimitur et potentia vel ius, non solum factum interdicitur; quod est magis consentaneum ei districtioni, quam in hac re Societas voluit esse firmissimam.

Ut non det consanguineis. Vehementer cavere debent Generales Praepositi, ne ex hoc loco ipsis irrepat libertas aliqua ad eleemosynas ex bonis collegiorum, vel domorum probationis erogandas. Non enim possunt id facere nisi de rebus modicis, vel in eventu aliquo, ubi clare censeretur Iure divino esse dandam eleemosynam, vel si accideret collegium a Societate destitui, cuius esset bonorum distributio posita in Societatis libertate. Nam, praeterquam quod collegiorum dotatio legem accipiat ex fundatione, ut ad collegium conferatur, vix eleemosyna reperiri potest tam necessaria, tam pia, quam quae in Societatis homines alendos insumitur: atque adeo, etsi tota fundatio esset posita in arbitrio Societatis, ne tunc quidem essent facile externis dandae eleemosynae ex collegiorum redditibus, nam intelliguntur semper dari pro collegio. Quod si non suppeteret numerus nostrorum scholasticorum, scholastici externi alendi essent in nostris collegiis, qua de re agitur in quarta parte. Quod igitur declaratio exponit eo spectat, ut illa excludantur diserte, a quibus magis timendum est moveri posse Generales. Deinde, ne propterea credamus, eam interdici eleemosynam, quae modica est, et dari solet ex collegiis, vel si quando nos ius divinum obligaret; quum alioqui sciamus districtissime esse praeceptum, bona collegiorum usibus et necessitatibus collegiorum esse applicanda: caveri etiam hoc formula Instituti, et diplomate Apostolico. Porro quod loquatur declaratio de bonis collegiorum, ne propterea intelligas ex eleemosynis domorum professarum posse donare consanguineis; ac ne ex bonis, quae cum retinere non possit Societas, debet vendere, et dare pauperibus, ut est in Declarationum sexta

parte: nam, si non sit in Societate necessitas, eligentur propter aedificationem externi quidem, non consanguinei Generalis. Illis enim dare erit aedificatio, his non erit, praesertim si similiter non egeant publice. Ceterum sub bonis collegiorum intelligi simul bona domus probationis, nemo dubitare potest.

Vel detur quod convenit. Hoc vero est, a quo magis cavere debent Generales, ut dona faciant ex bonis collegiorum. Caveant igitur ne Societas hinc graviter offendatur, et ius suum in ipsos persequatur.

IN DECLAR. V. CAP. IX. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Si commode fieri poterit. Nunquam autem non poterit: itaque nunquam non debebit eligi professus quatuor votorum in Assistentem. Nam necessum est, qui non sit professus quatuor votorum, eum vel coadiutorem, vel scholarem esse, vel novitium de stricto nostro iure. Quis vero non iudicet, non decere hos ius habere in Generalem Praepositum, et illi ex obedientia praescribere posse? Locus igitur hic, quemadmodum de aliis annotavi, conceptus est iuxta rationem initii Societatis, in quo cum essent rarissimi professi, multi autem probatissimi viri fere inveterassent absque professione, erat indulgendum, ut qui non esset professus, posset, si ita necessitas efflagitaret, esse Assistens. Post illud tempus nunquam erit illa necessitas, Christo propitio. Verum, si quo casu vel necessitate eligeretur

Assistens non professus, is omnino esset eligendus qui idoneus esset ad professionem, cui et statim esset danda professio, ne officium exerceret non professus; et esset quidem eligendus ex veteranis et probatissimis Patribus, et qui nullo veterano professo, qui eligi posset, inferior videretur.

Huiusmodi Assistentes. Ne intellige omnes posse simul Assistentes mitti a Generali. Possent quidem a Summo Pontifice omnes mitti, si nulla nostra intercessione moveretur. Itaque in hunc solum rerum eventum, intelligamus contingere posse, ut omnes mittantur.

Si diu eos abesse. Cuius sit hoc iudicium, dictum est in Constitutione huius loci. Illud tamen hic advertamus, quod in aliis etiam rebus est annotatum, hanc de Assistentium missione Constitutionem praesens illud tempus, quo Constitutiones edebantur, respicere; hoc est initia Societatis, et raritatem eorum, qui possent ad graviora ministeria mitti. Nam, ubi erit, Christo propitio, maior Societatis amplitudo et Patrum copia, nihil dubium, quin nullus sit mittendus Assistens a Generali.

Quod quatuor sibi persuaserant. Vel tres, vel omnino maior Provincialium pars etc. Quid autem fiet, si falso sit delatus Generalis? Nam satis non est, si indicatur ut res sit secreta, ne Praeposito iniusta infamia inuratur. Hoc enim non tantum esset cavendum per secretum, sed per disertam absolutionem publico Congregationis iudicio, et sententia; qua et ab omni infamia liberaretur Generalis, et de accusatoribus iudicaretur. Nam, si ex simplicitate animi bonoque zelo illum viderentur detulisse, mitius cum illis agi posset,

etiam si illa esset simplicitas castiganda. Nam, si per calumniam deprehenderetur aliquis accusationem intrusisse, de eo gravissime per suffragia Patrum esset statuendum.

Dissimuletur. Facilius quidem haec poterit dissimulatio adhiberi, facilius etiam res ignorari, ubi deponendus non est Generalis. Si vero deponitur, etiam si dissimulent Patres, res ipsa clamabit, quamvis Generalis ipse se magistratu abdicet. Itaque, ubi accusatio deprehenderetur iniusta, et esset absolvendus Generalis ab omni culpa, dissimulatio quidem esset diligentior adhibenda, si per eam confiderent futurum Patres, ut nihil infamiae haereret Generali. At si periculum timeretur, ne res confuse annuntiata pareret Generali aliquam existimationis iacturam, potius videretur res tota enuntianda, et damnandi auctores accusationis iniustae, vel notandi, ut modo dicebatur: sed harum rerum iudicium erit in Congregatione.

Serio iniungi. Serio ego interpretarer, sub obedientia, quae ad peccatum obligaret: nam agitur de tegenda fratris infamia, ad quam nullus alioqui non obligatur.

Praesertim Provincialibus. Diligentius quidem videretur secretum hoc iniungendum inferioris notae Patribus; sed de Provincialibus ita scribitur, quod ipsi debeant non solum servare secretum, sed curare etiam, ut quibus praesunt, ii illud observent.

Ne cui indicent. Cui non teneantur alioqui ex Instituto Societatis, ut si quando contra bonum Societatis esset illud celare.

Quique in morbum. Vel qui senio esset confectus, ut est in Constitutione.

Si morbus talis non esset. Admonetur officii graviter hoc loco Generalis. Debet enim, ubi ita aegrotaret, ut gubernationi non posset operam dare, aliquem eligere, qui Generalis fungeretur munere, donec convalesceret: nec esset necessum hunc confirmari a quopiam, quandoquidem temporarius esset; verum si fieret aegritudo incurabilis, ibi oporteret accedere confirmationem.

Nisi obedientia. Ac ne tunc quidem necessum esset coire Societatem. In necessitate enim obediendi nullus est locus consultationi. Possent tamen, si Summus Pontifex id concederet, consuli, qui ius habent suffragii, ut primo capite quartae partis dicebatur, ut maiori pondere de Societatis totius consensu fieret illa intercessio apud Papam; quam si non concederet, potius esset cogitandum de congreganda Societate ad novi Generalis electionem.

IN DECLAR. VI. CAP. IX. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Hoc praestabit in primis auctoritate. Non praeponit declaratio auctoritatem et exemplum vitae charitati etc. sed illud in primis fertur in haec omnia, quae hic enumerantur; quae praestabunt in primis, ut finem illum consequatur Generalis, sed singula pro ratione suae dignitatis apud Deum; quare illud primo loco praestabit charitas.

Ex his, quae praestare ipse potest. Hoc dixit in-

terpres, ut paraphrasi explicaret, quod hispanice est, *de su parte,* quod tamen sat commode vertitur, si tantum dicatur, hoc maximi momenti apud eum esse debet. Nam locus ad verbum, si ex hispanico reddatur, ita habet: et de hoc medio debet facere ex sua parte magnum capitale, id est, hoc medium debet apud ipsum esse magni pretii vel momenti. Illud vero est, quod ultimo loco dixit, orationis, et sacrificiorum.

De quibus agetur. In residuo huius capitis Constitutionum et eius declarationis; illic enim, et hic agitur de ministris, quibus ad gubernationem utitur Generalis.

Vel in gratiam eorum. Modo hanc rationem habere sit futurum e maiori Dei servitio.

Literis poterit respondere. Varie usi sunt ratione scribendi P. Ignatius, et P. Laynez; varie, credo, utentur reliqui Generales Praepositi variis ex causis. Sed ego in simplicitate cordis attingam, quae e re Societatis futura existimo, et etiam ex Instituto. Et primum quidem, ut omnes litterae de negociis scribantur ad Generalem; Generali dentur in manus; nec quispiam illas prius possit aperire, quam ille, sine eius expresso consensu. Ipse leget Provincialium saltem, et quae *soli* scribentur; alias transcurret. Et hoc quidem faciet primo quoque tempore, retentis quae soli; alias dabit Secretario, ut in compendium redigat; quod quum fecerit, et quidem statim, dabit legendas proprio Assistenti. Uterque notabit, si quibus videbitur statim respondendum, et de iis statim referent ad Generalem: qui, si videat nihil esse quod Assistentes consulat, statim respondebit, aut iubebit scribi; sin aliquid viderit, quapropter sint evocandi alii Assistentes, illos

item evocabit, re eis communicata per Secretarium et explicata, et exhibitis literis postea in Congregatione; et illis tandem auditis, respondebit Generalis. Hoc ita dicitur celeriter respondendum, ne, mora interposita, praesertim non necessaria, iacturam patiantur negocia. Quod ad reliqua attinet, non refert Secretarius, et proprius Assistens ad Generalem ex literis, nisi alii Assistentes omnes litteras legerint, et sint ad Generalem congregati. Et hic quidem ad facilia respondebit, non rogata Assistentium sententia; ad alia prius illos audiet quam vel respondeat, vel significet quid ipse sentiat. Singulas porro responsiones Generalis compendio scribet Secretarius, et statim leget, si qua in re forte velint intercedere Assistentes, et emendare Generalis. At vero Secretarius non consuletur, sed erit purus relator, ne, quod est in proclivi, ex sua sententia plus minus scribat. Poterit tamen, et debebit referre, si quid videatur desiderari facti ex literis. Quae autem erunt leviora, et quotidiana, de quibus nulla potest esse difficultas, de his respondebit Secretarius, consulto Assistente, si quando videbitur. Scriptas literas exhibebit primum Secretarius suo Assistenti; is Secretario proponet, si quid videbitur emendatione dignum, quod emendabit Secretarius, nisi contra sentiat. Nam tunc ambo venient ad Generalem, qui controversiam dirimet. Leget Generalis literas saltem, quae sunt ad Provinciales, et alioqui de rebus gravioribus, et omnino eas omnes, quibus ipse subscribet. Quod faciet de his, de quibus diximus, semper; et quae scribentur ad Rectores, et privatos, iis subscribet aliquando, si nihil aliud, ut recreentur manu patris, et videatur aliqua ratio de illis haberi. Quae soli Generali mittuntur

literae, eas solus quidem leget Generalis, et quarum videbitur servandum secretum, illas primum nulli communicabit; dein illis ipse sua manu rescribet, re consultata, si consultatio fieri possit, conservato secreto; vel etiam per Secretarium respondere aliquando poterit, si ita scribi potest, ut quae scribit non intelligat Secretarius. Sin videat nil esse, quocirca sit servandum secretum, de iis similiter facere poterit, atque de aliis. Ceterum, quandoquidem hoc tempore ad tantam literarum multitudinem ventum est, ut unus Secretarius nec referre illas, nec respondere ad omnes possit, probarem augeri numerum Secretariorum et institui Secretarios quatuor, quibus litterae ex quatuor partibus Societatis, ut sunt quatuor Assistentibus demandatae, distribuerentur. Et fortassis tres essent satis, praesertim quum possit, ac debeat etiam, Procurator respondere litteris, quae ad negocia attinent. Haec in hanc § visa sunt annotanda; pendent vero ex Generalis Praepositi iudicio, et Societatis, ut quae scripsi omnia.

Possent conferri. Secretarius posset conferre ex literis, simul inter se conferre Assistentes. Conferent vero hi iuxta eam rationem consultationis, quam usurpabat Pater Ignatius, de qua annotatum est in hunc locum Constitutionum. Unde petenda etiam est huius loci expositio. Alia ratio servari posset, ut referret Secretarius ad Generalem de instructionibus, et voluntatem eius intelligeret summatim, eam referret ad Assistentes, qui dicerent quae viderentur: et ea, de quibus inter ipsos conveniret, cum scripsisset Secretarius ut referret ad Assistentes, postremo ostenderet Generali, tum ea, quae scripsisset, tum illa, de quibus inter

ipsos constaret. Denique ultima manus imponeretur Generalis subscriptione.

Posset Secretarius. Non solus, sed cum uno ex Assistentibus, eo scilicet, qui curam eius nationis haberet, de cuius negotio ageretur.

V. *Solita habitatio.* De habitatione Procuratorum dictum est in annotatione Constitutionis huius loci.

Et ad tempus possent. Hinc colligi videtur non posse Procuratorem, etiam si lites non tractet, etiam si necessitas vel convenientia intercedat, habitare in domibus professis, nisi ad tempus: unde illud videtur constare non posse, quod dictum est in annotatione in hanc Constitutionem. Sed tamen responderi potest, illic me censuisse, in collegiis Procuratores habitare posse; hic prohibetur in professis domibus ne habitent: et simul intelligit haec declaratio de Procuratoribus nostris, quibus ex officio incumbit lites agere, et in foro iudiciisque versari, etiam si actu lites non tractent. Illic ego de nostris Procuratoribus dicebam, qui nec actum habebunt, nec potentiam tractandi lites immediate.

Ex his, quae dicta sunt de Generali. Optima erit ratio concipiendi regulas et edendi, si ex eius officio, qui suprema et unica auctoritate Societatem gubernat, et ministrorum, qui ipsi subserviunt in gubernatione, illa ratio accipiatur. Hoc itaque fiet a Generali Praeposito, vel a generali Congregatione. Nullus praeterea condendi regulas habebit auctoritatem, nisi forte commissariam; regula tamen Societatis nulla erit, nisi a generali Congregatione, vel Praeposito sit confirmata.

IN DECLAR. X. PART. CONSTITUTIONUM

SCHOLIA

Cum resistendi modus deesset. Voluntati ac praecepto Summi Pontificis; solus enim ille ad id potest Societatem compellere. Omnes igitur modi et rationes resistendi et impediendi sunt expediendae et exercendae; omnis lapis, ut aiunt, movendus, ne dignitas accipiatur; nec desistendum, vel animus est despondendus, donec omnis industria nos deficiat. Quod nunquam esse debet, nisi quando diserte obligabit Sedes Apostolica ad mortale peccatum, nec admittere ullam plane excusationem volet.

Ad hoc munus. Admonendi Praelatum e nostris postulatum, atque assumptum.

Non timore contradictionum. Timor non omnis excluditur, sed is, qui a virtute non proficiscitur, et qui minueret magnanimitatis et constantiae, vel etiam alacritatis perfectionem; ille enim alter potius attinere videtur ad partes prudentiae, cautionem ac providentiam.

FINIS SCHOLIORUM IN DECLARATIONES.

INDEX RERUM

PRAEFATIO EDITORIS..... Pag. v

SCHOLIA IN EXAMEN GENERALE..... » 1

SCHOLIA IN CONSTITUTIONES..... » 29

APPENDIX..... » 269

SCHOLIA IN DECLARATIONE..... » 275

A. M. D. G.

IMPRIMATUR

Datum Prati ex Curia Eccles.
die 14 Augusti 1883.
C. B. Mazzoni, Vic. Cap.

060.151
N191
6341

NATALI, S.J., JEROME
AUTHOR

Scholia in Const. et
TITLE Declarationis S.P.Ignatius

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - COSA	
	Mart. DEC 1	

6341

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709